COMMENTATIONEM
AD
TITULUM CODICIS
DE
MATHEMATICIS
MALEFICIS ET CETERIS SIMILIBUS

PRÆSIDE

LÜDERO MENCKENIO JCTO
CONSILIAR. REG. POLON. ET ELECT. SAXON.
DECRETALIUM PROF. PUBL. ET FACULTATIS JURIDICÆ
LIPSIENSIS ORDINARIO, &c.

PRÆCEPTORE SUO MAXIMOPERE COLENDO,

IN

AUDITORIO JCTORUM

EXCUTIENDAM PUBLICE PROPONET

AUCTOR ET RESPONDENS

JACOB. BENEDICTUS WINCKLERUS
LIPSIENSIS

D. II. AUGUST. AN. MDCCXXV

H. L. Q. C

LIPSIÆ

LITERIS IMMANUELIS TITII

812

p 318.

KÖNIGL. UNIVERS. ZV HALLE

MAY 21 1923

SUMMA DISPUTATIONIS.

§. I. *Commendatur causa propositi ab usu forensi,*
§. II. *Politico.*
§. III. *Quos veteres,*
§. IV. *Quos leges dicant Mathematicos.*
§. V. *Horum definitio ejusque*
§. VI. VII. VIII. IX. X. *Explicatio,*
§. XI. XII. *Sejunguntur Chaldæi, ab arte ita dicti, a gente Chaldæorum.*
§. XIII. *Conjectura de origine hujus studii.*
§. XIV. *De Maleficis, & voce Malefici in genere,*
§. XV. *In specie. Comprobatur sententia legibus,*
§. XVI. *Latini sermonis consuetudine.*
§. XVII. *Divisio Magiæ. Demonstratur exemplis,*
§. XVIII. XIX. XX. XXI. *Quæ magis facta Romani attribuerint.*

§. XXII. XXIII. XXIV. *Conciliatur cum opinione noſtra Lex ſecunda,*

§. XXV. *Et quinta.*

§. XXVI. *Quæ facta a maleſwi crimine leges eximant.*

§. XXVII. *Quid olim fuerint magi.*

§. XXVIII. *De ceteris ſimilibus,*

§. XXIX. *De haruſpicibus, eorumque etymologia, origine,*

§. XXX. *Opera in extis inſpiciendis.*

§. XXXI. *In oſtentis,*

§. XXXII. *In prodigiis,*

§. XXXIII. *In portentis procurandis.*

§. XXXIV. *Denique de eorum uſu, & auctoritate in Romana Republica.*

§. XXXV. *De Sacerdotibus, eorumque miniſtris,*

§. XXXVI. *De ariolis,*

§. XXXVII. *Vatibus,*

§. XXXVIII. XXXIX. *Auguribus, eorumque origine, etymo, ſtudio & auctoritate.*

§. XL. *De reliqua ceterorum ſimilium turba.*

§. XLI. *Ratio legum theologica,*

§. XLII. *Ratio politica de mathematicis,*

§. XLIII. *De vatibus ariolisque,*

§. XLIV. *De magis,*

§. XLV. *De auguribus,*

§. XLVI. XLVII. *De pœna horum criminum, Roma adhuc experte,*

§. XLVIII. XLIX. *Roma jam participe christiani ritus.*

§. L. LI. *Explicantur hujus tituli leges. De pœna Mathematicis, Mathematicosque consulentibus, a Constantio,*

§. LII. *A Theodosio constituta. Cur Theodosius Constantio derogasse existimandus sit.*

§. LIII. *Recitatur Lex ipsa.*

§. LIV. LV. *Quo exilii genere Mathematicus pellatur.*

§. LVI. *Amplior legis explicatio, inprimis verbi* insinuaverit & professionis.

§. LVII. *De supplicio maleficorum, & eorum, qui maleficorum opera utuntur. Enarratur lex ipsa.*

§. LVIII. *De peste ferali sententia Accursii, a qua recedimus.*

§. LIX. *Sententia Dionysii Gothofredi de eadem re.*

§. LX. *De opinione Jacobi Gothofredi & nostra.*

§. LXI. *Ejusdem legis explanatio, præcipue verbi* ventilare.

§. LXII. *Qui magi a peste ferali liberentur.*

§. LXIII. *Alia Lex de Magis accusandis, & non occidendis,*

§. LXIV. *Ejusque illustratio, præsertim vocis: agitatorum.*

§. LXV. *De pœna ceterorum similium, eosque consulentium.*

§. LXVI. *Explanatur Lex quinta.*

§. LXVII. *De supplicio haruspicum,*

§. LXVIII. *Sacerdotum,*

§. LXIX. *De pœna illius, qui cum haruſpice commercium habuit.*

§. LXX. *Illuſtratur adhuc Lex tertia.*

§. LXXI. *De tormentis, & quid Judici obſervandum ſit.*

§. LXXII. *Qui a tormentis immunitatem habeant. Et quibus caſibus nemo a tormentis*

§. LXXIII. *Poſſit excuſari. Explicatur Lex ſeptima.*

§. LXXIV. *Explanantur verba* Comitatus Auguſti & Cæſaris.

§. LXXV. *Verba* ad proprium facinus.

§. LXXVI. *De flagitio docentium & iſtas artes diſcentium.*

§. LXXVII. *De libris lectionis improbatæ tollendis, & de jactura librorum exinde orta.*

§. LXXVIII. *De aliis effectibus, qui ex eis criminibus oriuntur.*

§. LXXIX. LXXX. LXXXI. LXXXII. *Quomodo cum de criminibus in genere, tum ex legibus explicatis de criminibus mathematicorum, maleficorum ceterorumque ſimilium judicandum ſit.*

§. LXXXIII. LXXXIV. *Quid jure Patrio de his ſceleribus ſtatuatur.*

§. I.

Um illud forte tractaremus volumen, quod a Juſtiniano compoſitum eſt, ejusque nuncupatur Codex, contigit, ut incideremus in leges, quibus *mathematicorum maleficorumque* crimina refrenantur, & quibus inſcriptum eſt, (a) de *mathematicis, maleficis & ceteris ſimilibus.* Evenit autem, cum in hoc verſaremur labore, ut nobis non pauca ſe offerrent, quæ lucis indigere viderentur, eſſentque incitamento, ut pro eo, quod in nobis ſitum eſt, quamvis ſit illud exiguum, iſtam rem explicare conaremur. Acceſſit, quod hæc facinora ætate noſtra non ſint incognita. Haud infrequens in judiciis mentio ſacrorum, quibus credüli homines ad inveniendos utuntur (b) theſauros. Non inſolens eſt plebis concurſus ad mulierculas, quas ſagas vocant, quas ea, ſimul ac de ſupellectile, ſeu alia re familiari quædam ſurrepta ſunt, de fure conſulit. Ominibus quoque, prædictionibus, aliisque nugis fides nondum penitus abrogata eſt.

(a) Vid. Lib. Cod. 9 t. 18.

(b) C. de Theſauris.

§. II.

Scelera etiam iſta civitatibus non ſunt omnino negligenda. Ut enim omittam, Deum immortalem magno odio (a) illa habere crimina, multumque ea incommodi aliis intuliſſe gentibus, quarum res geſtas, ut imaginem futuri, prudentiſſimus quisque intuetur, ad patriæ tantum noſtræ tempora reſpiciamus. (b) Quid enim alendis turbis, quibus Monaſterium olim agitatum eſt, improbo-

(a) Vid. §. 41. infra.

(b) SLEID. ad an. 1535.

(c) Vid. §. 41. seqq.

proborum vaticinatione fuit aptius? (c) Sed ad rem potius ipsam progrediamur.

§. III.

Legibus, quas illustrare cogitamus, ita inscriptum est: de *mathematicis, maleficis & ceteris similibus*. Unde Mathematicus nomen sortitus sit, exponit (a) Gellius, qui artes, ab ipsis factitatas, *Gnomonicam, Geometriam, Musicam, ceterasque altiores disciplinas* μαθήματα a Græcis docet esse appellata. Egregie de iis Tullius, quis, ait, nesciat, quanta, (b) qui *Mathematici* vocantur, in obscuritate rerum, quam recondita in arte, ac multiplici subtilique versentur. Nec illepide de illis Lipsius, (c) *qui in rebus quidem sine corpore, sed in corpore tamen consideratis occupantur*. Non est causa, ut pluribus hæc persequamur, cum qua scientia Mathematicus ornari debeat, quantumque ille ad res civitatis adjumenti afferat, perspectum sit.

(a) L. 1. C. 9. L. 14. C. 3. noct. Att.

(b) L. 1. c. 10. CIC. de Orat. idem L. 1. Tuscul. Quæst. C. 3. edit. Hamburg. an. 1618.

(c) L. 2. Manuduct. ad Stoic. discipl. diss. 5. v. ut cœlestes motus.

§. IV.

Verum de his hic sermo non est id quod facile apparet ex ordine, quo mathematicum cum maleficis & ceteris similibus leges hoc loco copulant. Quin (a) Geometriam, Mathematicorum disciplinæ partem, disci ac doceri publice interest, accenseturque ea artibus (b) liberalibus. Azo etiam hujus rei non fuit ignarus. Pro captu enim suo illum, qui *Mathematicus* hic appellatur, addita litera spirante, scribendum existimat. Credebat scilicet, (c) *quod scire faciat matesis, sed divinare mathesis*. Illud præterire noluimus, (d) Geometras a tutelæ munere immunes non esse, si id, quod Pandectæ statuunt, intueamur, quamvis idem liber (e) multis, qui dignitate potiores non sunt, vacationem ab eo onere concedat.

(a) L. 2. C. de malef. & mathem.

(b) L. 1. pr. ff. de extraord. cogn.

(c) Vid. Gloss. ad hunc titulum.

(d) L. 22. ff. de Excusat.

(e) L. 6. §. 1. ff. eod.

Postea

Poſtea tamen hac immunitate eos gaudere voluerunt Conſtantinus (f) & Conſtans.

(f) L. 2. C. de Excuſ. artif.

§. V.

Sed huc referendi ſunt illi, quibus, profitentibus ſcientiam futuri, certis tamen finibus incluſam, nomen Mathematici a vulgo tributum eſt. Nec enim, niſi divinandi pruritus hoc vocabulo ſignificaretur, SUETONIUS (a) veraculos, (b) ULPIANUS vaticinatores, qui ſe plenos Dei ſimulant, cum Mathematicis conjunxiſſent. (c) Sic apud PETRONIUM: *Nec auguria* novi, nec *mathematicorum cœlum* curare ſoleo, ſed ex vultu tamen *hominum mores colligo:* Idemque, laudamus, (d) ait, urbanitatem Mathematici. Hujus autem generis mathematicos hoc loco denotari, ex verbis illis legum, (e) *nemo mathematicum conſulat, ſileat omnibus perpetuo divinandi curioſitas*, clare elucet.

(a) in Vitell. C. 14. editionis Grævii. vid. CASAUBON. in not.
(b) apud Auct. Collat. LL. Roman. & Moſaic. t. 15. §. 2.
(c) Satyric. C. 126.
(d) id. C. 39. vid. QUINTIL. Declamationem, Mathematicus, inſcriptam C. 4.
(e) L. 5. C. h. t. junct. L. 7. C. h. t. v. aut mathematicus.

§. VI.

Nec vero omne ſtudium ejus prædicendi, quod mortalibus immineat, Mathematicorum eſt proprium, ſed quoddam tantum, (a) ſuis terminis, ut paulo ante diximus, circumſcriptum. Ii igitur ſolum ad hunc cenſum pertinent, qui ex numeris, ſomniis, horaque natali, ex alia denique conjectura, a ſideribus ducta, de fato reſpondent. Ejus autem rei, quod Mathematicus ex ſignis cœleſtium ſiderum, ſub quibus quis natus eſt, & quæ rei gerendæ aliquid portendere creduntur, de futuro harioletur, multa exſtant argumenta. Ita Theogenes, qui Auguſti geneſin interpretatus eſt, (b) *Mathematicus* appellatur. Ita Caligula, (c) quid genitura afferret, curioſus, necem appropinquare a Sulla *Mathematico* accepit. Et reliqui fere Imperatores omnes, de quibus commemorat

(a) §. 5.
(b) SUET. in Aug. C. 94.
(c) id. in CALIG. C. 57.

SUETONIUS,(d) de genitura a *Mathematicis* eruditi sunt. Hinc geneſis, (e) hinc thema, cujus SUETONIUS in Auguſto meminit, & quibus imperium prædicebatur, ii (f) *geneſin imperatoriam* habere dicebantur. Inde illud JUVENALIS: (g) Nota *Mathematicis geneſis* tua.

(d) in Tib. C. 14. in Vitell. C. 3.
(e) Id. in Aug. c. 94.
(f) Id. in Tit. Flav. Veſpaſ. C. 14.
(g) Satyra 14. v. 249.

§. VII.

Et hac de cauſa Mathematici ſunt (a) genethliaci dicti. Appellantur illi etiam Chaldæi, quod hi in eo ſcientiæ genere maxime exercerentur. Optime hæc declarat A. GELLIUS, (b) qui Favorini diſputationem contra eos, qui ſeſe Chaldæos ſeu genethliacos appellant, revocat in memoriam, & de Chaldæis ibidem teſtimonium perhibet, quod etiam genethliaci dicantur. Liceat jungere cum Gellio (c) HIERONYMUM, qui credit, in Chaldæis genethlia λόγες ſignificari. Vocati illi etiam (d) Aſtrologi, quo nomine eos CICERO expreſſit. Verbis conſimilibus Juvenalis Chaldæos (e) Aſtronomos ÆLIUS SPARTIANUS (f) Mathematicum Aſtrologum nuncupant.

(a) GELLIUS L. 14. c. 1.
(b) Noct. Att. L. 14. C. 1.
(c) Comment. in Daniel. C. 2.
(d) de Divin. L. 1. C. 39. id. Epiſt. ad fam. L. 6. Ep. 6.
(e) Satyr. 6. v. 554. 555.
(f) in Severo C. 2.

§. VIII.

Matheſeos etiam, Mathematicæque vocabulum ad iſtam artem translatum eſt. Tali modo SUETONIUS de Tiberio: (a) *Circa Deos*, inquit, *ac religiones negligentior, quippe Mathematicæ addictus, perſuaſionisque plenus, cuncta fato regi.* (b) *Mathematica* tandem *damnabilis & interdicta omnino. Matheſeos* Adrianus adeo fuit (c) peritus, ut, quæ toto anno evenirent Calendis Januariis notaſſe dicatur. (d) Severus Matheſeos gnarus, genituras ſponſarum requirebat. Illud eſt certum, quo longius a ſeculo, quod aureum vocant, recedamus, eo crebrius uſurpari Mathematici, Matheſeos, & Mathematicæ voces pro iſta, quam modo perſtrinximus, divinationis diſciplina.

(a) C. 69.
(b) L. 2. C. h. t.
(c) SPARTIANUS C. 16. in Adrian.
(d) id. in Severo C. 3.

§. IX.

§. IX.

Satis de Aſtrologia. Reſtant numeri & ſomnia Chaldæorum propria. Illa enim divinationis pars, quæ in Aſtris ponitur, Chaldæo cum Mathematicis erat communis. Et equidem, quod ad conjecturam ſomniorum attinet, (a) DANIEL nos docet, Chaldæos jam olim a Nebucodonoſare de eo, quod ipſe ſomniaverat, fuiſſe interrogatos. Nec obſcurius hæc indicat (b) LUCIANUS ſive ex aſtris, ſive, ut Chaldæi ex ſomniis. Numerorum vero Babylonicorum, quæ vox Chaldaicæ ſcientiæ index eſt, mentionem facit (c) HORATIUS:

(a) C. 2.

(b) in Dialog. Cratetis & Diogen.

(c) l. 1. Od. 11. edit. Bentleji.

Tu ne quæſieris, ſcire nefas, quem mihi, quem tibi
finem Di dederint, Leuconoe, nec Babylonios
tentaris numeros.

Non inficiamur, Chaldæorum etiam fuiſſe multos, qui magicis (d) ſeſe ſtudiis dederent. Verum hi *Chaldæorum nomine*, cum hoc abſolute ponitur, & artem magis, quam gentem indicat, non continentur. Illi igitur magis annumerandi ſunt.

(d) vid. LUCIANUM in Dial. Necyomanthias.

§. X.

A vulgo, Aſtrologos Chaldæosque nomen Mathematici cepiſſe diximus. Hac mente (a) GELLIUS: *Vulgus autem*, ait, *quos gentilitio nomine Chaldæos dicere oportet, Mathematicos dicit.* Audiamus etiam (b) HIERONYMUM. Chaldæos, inquit, ſignificari credo, quos vulgus Mathematicos vocat.

(a) Noct. Att. L. 1. C. 9. jungat. du FRESNE in Gloſſario medii ævi ſub hac voce.

(b) Comment. in Daniel.

§. XI.

Nobis non convenit prorſus relinquere intactum, quæ fuerit Chaldæorum gens, quas illa coluerit artes; præſertim cum magna inde lux oriatur, cur Chaldæi ſint vocati Aſtrologi, Genethliaci & Mathematici. Erant illi

gens Asiæ, pagus Assyriorum, (a) Arabiæ desertæ finitimi. (b) CICERO quoque non ex artis, sed *gentis* vocabulo eos appellatos, demonstrat. De terra etiam Chaldæorum pluribus locis meminit sacer Codex, inprimis Stephanus ille martyr, a quo Abraham dicitur, (c) τότε ἐξελθὼν ἐκ γῆς χαλδαίων. Secernendi sunt a Chalybibus, gente Ponti. Ita enim Strabo: οἱ νῦν χαλδαῖοι, χάλυβες τὸ παλαιὸν ὠνομάζοντο. Assyriorum vero Chaldæos fuisse nationis, illud DIODORI SICULI declarat, χαλδαῖοι τῶν ἀρχαιοτάτων ὄντες βαβυλονίων.

(a) Strabo L. 16.
(b) L. 1. de Divin. c. 1.
(c) Act. Apost. C. 7. v. 4.

§. XII.

Postea a gente ad Philosophos, Babylone commorantes, verbum Chaldæi transiit. Erant illi præterea sacerdotes Babyloniorum, sicut a DIODORO (a) SICULO accepimus. Astris maxime operam dabant, eorumque cognitione jam olim excellebant, adeo, ut Pythagoras, Ægyptum primo, mox Babyloniam ad cognoscendos siderum motus profectus, (b) summam ibi scientiam consecutus dicatur. *Babylonii* ideo a (c) CICERONE vocantur, & cum Ægyptiis, tanquam eadem arte præstantibus, conjunguntur. Negat item Strabo, ulla in regione Matheseos studium majori in pretio fuisse, quam apud Chaldæos. Causam, cur siderum situs motusque adeo diligenter observarint, eam indicat CICERO: (d) *Babylonii*, ait, *in camporum patentium æquoribus habitantes, cum ex terra nihil emineret, quod contemplationi cœli officere posset, a regione ipsa ad hoc studium invitabantur.* Mox etiam in Syriam diffusi, *in Syria* enim, loquitur (e) TVLLIVS, *Chaldæi cognitione astrorum solertiaque ingenii excellunt.*

(a) L. 2. Bibl. Histor.
(b) JUSTINUS L. 20. C. 4.
(c) L. 1. C. 42. de Divin.
(d) L. 1. C. 1. & 42. & de Divin.
(e) L. 1. C. 41. de Divin.

§. XIII.

Causa, quæ mathematicos ad fata ex sideribus significan-

ficanda induxit, cum alia, tum hæc inprimis fuerit, quod homo, futuri cupidus, & multæ plerumque de rebus suis spei, nulli magis rei sit aptus, quam fraudibus vaticinantium. Illi igitur, capto hac arte humano animo, quem, ut iste ait, (a) *damnat caligo futuri*, partaque opinione, posse prædici, (b) *quid cuique eventurum esset, & quo quisque esset natus fato*, (c) *Si stella nascentibus triste lætumve constitueret*, magna ab eis, qui ita fallebantur, accipiebant munera, & hac ratione multis rem familiarem augebant incrementis. Qua re credimus utique esse effectum, ut maxima Mathematicorum pars his se ineptiis traderet, adeo, ut post Trajani inprimis tempora, mathematici vox semper fere eum designet, qui ex Chaldæorum notis futura prænuntiat.

(a) JUVENAL. Satyr. 6. v. 557.
(b) CIC. L. 1. C. 1. de Divin.
(c) SENECA L. 7. nat. quæst. C. 28.

§. XIV.

Et de his quidem hactenus. Sequuntur *malefici*. Hic modo spectemus, unde sit verbum compositum, statim apparet, de improbo, qui mala inferre consueverit, esse sermonem. Illud (a) QUINCTILIANI non insulse dictum; *Maleficus distat a maledico occasione.* Optime igitur PHÆDRUS (b) canem, qui morsibus virum laceraverat, *maleficum* nuncupat. *Malefici* generis animalium mentionem injicit SALLUSTIUS, (c) & SUETONIO, (d) qui ex emissariis Neronis maximas inferebant calamitates, Halotus & Tigillinus, sunt maleficentissimi. Nec etiam illi, nisi ob facinorum magnitudinem a Legibus (e) ita dicti, & a veteri (f) Jureconsulto cum Manichæis, qui & ipsi *ad imam scelerum* (g) *Nequitiam* pervenerant, consociati sunt.

(a) Inst. Orat. L. 12. C. 9
(b) L. 2. Fab. 3.
(c) SALL. de bello Jugurtino c. 17. edit. Gronovii.
(d) SVET. in Galba c. 15.
(e) L. 5. 7. C. h. t. L. 4. 7. C. Theod. h. t.
(f) vid. Collat. LL. Rom. & Mos. Tit. 15.
(g) L. 5. C. de Hæret. Manich. & Samarit.

§. XV.

Hunc locum occupant, qui venenis seu veneficiis

(a) AMMIAN. MARCELLIN. L. 29. C. 2.
(b) L. 7. C. h. t.
(c) L. 6. C. h. t.
(d) L. 4. C. h. t. L. 3. C. Th. h. t.
(e) L. 6. de Indulgent. Crim. C. Th.
(f) L. 9. C. h. t.
(g) L. 7. C. h. t.
(h) L. 6. C. h. t.
(i) Comment. in Daniel. C. 2.
(k) C. h. t. jungat. L. 6. C. Th. h. t. vid. Cauſam 26. qu. 5.

ſæviunt, Magi, (a) noxii etiam appellati, magicisque carminibus aſſueti. Et *magos, magicisve carminibus*, ſicut (b) Lex loquitur, *aſſuetos*, ut huc referam, faciunt, cum ipſa nefaria, in quam illi incumbunt, ſcientia, tum atrocia, quæ de eis ſanctiones noſtræ commemorant, tum magnitudo pœnæ, quæ eis conſtituta eſt. Et hæc omnia cum *maleſici* voce optime conveniunt. Legimus autem in conſtitutionibus Auguſtorum iſta fere de magis. (c) *Qui magicis accincti artibus, elementa turbare, vitam inſontium labefactare, & ventilare, ut quisque malis artibus conficiat inimicos, non dubitant.* (d) *Qui magicis accincti artibus, aut contra ſalutem hominum moliri, aut pudicos animos ad libidinem deflexiſſe detegentur.* (e) *Qui noxiis quæſtis graminibus, & diris immurmurata ſecretis, mentis & corporis venena componunt.* Appellantur illi (f) *hoſtes communis ſalutis*, (g) *inimici generis humani.* Reſtat magnitudo pœnæ, quam magi cum antea experti ſunt, tum noſtris etiam legibus ſuſtinent. Hos enim, *quia naturæ peregrini ſunt*; (h) *feralis peſtis abſumat.* Adde a nobis laudatum (i) HIERONYMUM, qui *ſermone communi magos pro maleficis accipi* teſtatur, adde legem (k) ſeptimam, quæ *magicis carminibus aſſuetos, maleficos a vulgo dici declarat.*

§. XVI.

(a) L. 2. Annal. 69.
(b) Jungat. Cod. Theod. de maleficiis, mathematicis & ceteris ſimilibus. Lex item 34. eod. C. de hæret. verb. malefic. nomine.

Nec infrequens apud eos, qui latine ſcripſerunt, *maleficiorum* pro arte magica uſus. Ita *maleficiorum* meminit (a) TACITUS, *quibus creduntur animæ numinibus infernis ſacrari.* Vetus quoque HORATII interpres: *ita te defigam maleficiis novis & inſolitis, ut mentem nunquam recipias.* (b)

§. XVII.

§. XVII.

Cum vero magiam eruditi ita plerumque ſoleant partiri, ut magus ad exitum cogitata perducat, vel cognitione ejus facultatis, quam unicuique rei natura indidit, vel cantionibus, herbis veneficis, alio denique prohibito modo voti damnetur, nonnunquam etiam commercia contrahat cum Dœmonibus, alia quidem naturalis eſt & licita, alia nefaria & ex genere illicitorum. De hoc autem magiæ genere, quod natura adjuvante exercetur, hic ſermo non eſt, neque illud his prohibetur legibus. Etenim, etiamſi inſigne hac ratione afferatur detrimentum, pro eo tamen, quod commiſſum eſt, modo in veneficii, modo in aliud crimen hæc improbitas incurrit. Sed hi maleficorum nomine continentur, qui tam nefariis, quas ediſſeruimus paulo ante, uſi artibus, mentis corporisque venena componunt. In quibus, ſi veteres audimus, cantiones, quæ etiam carmina dicantur, haud infimum tenuerunt locum. Ideoque (a) *carmina incantare* a veteribus ſæpius dictum eſt, & in lege duodecim tabularum cautum, (b) ne *quis malum carmen incantaſſit, aut fruges excantaſſit.* Appellantur autem ſæpe numero a veteribus carmina, quæ alias *verba ſolennia* nuncupamus, ut ex (c) LIVIO diſcimus: *Lex* ait, *horrendi erat carminis.* Tribuebatur carminibus haud exigua vis, ut a MARONE (d) indicatur:

(a) SPARTIANUS in Didio Julian. c. 7.

(b) Tab. 7. PLIN. L. 28. C. 2.

(c) L. 1. C. 26. L. 39. C. 15.

(d) Pharmaceut. Eclog. 8. v. 69.

Carmina vel Cœlo poſſunt deducere lunam.

Idemque fere apud HORATIUM. (e)

(e) L. 1. Satyric. Satyr. 8. v. 19.

Quantum carminibus quæ verſant atque venenis.
Humanos animos.

Tentabat igitur Alpheſibœus in agros carminibus pellicere Daphnim, (f) ut Maro venuſte cecinit.

(f) in Pharmaceut. Eclog. 8. v. 68.

Ducite

Ducite ab urbe, mea carmina ducite Daphnim.

(g) SPARTIANUS in Did. Jul. C. 7.

Ad vaticinandum etiam carminibus utebantur (g) magi, quorum omnes fere ſunt prædictiones, illæ, quas carmina antecedunt. Quo referenda omnino eſt divinatio, *quæ*, ut SPARTIANUS tradit, *incantato prius vertice pueri, qui reſpicere jubebatur, ad ſpeculum fieri dicitur.* Inſidiabantur præterea magi carminibus hominum ſaluti, quæ ſcelera præcipue nominantur devotiones, quarum in Germanicum Cæſarem factarum mentionem facit (i) TRANQUILLUS. Nec *ſuffragia*, quæ lex (k) quarta enarrat, a certa verborum conceptione diſcedere mihi videntur.

(h) h. cit. in Did. Jul. C. 7.

(i) in Caligul. C. 3.

(k) h. t.

§. XVIII.

Per herbas etiam magos multa efficere Romani crediderunt. Ne multis te morer, audiamus iterum MARONEM. (a)

(a) in Pharmaceut. Eclog. 8. v. 95. ſeq.

Has herbas atque hæc Ponto mihi lecta venena
ipſe dedit Mœris, naſcuntur plurima Ponto.
His ego ſæpe lupum fieri, & ſe condere ſilvis.
Mœrim, ſæpe animas imis exire ſepulchris,
atque ſatas alio vidi traducere meſſes.

§. XIX.

Sequuntur aliæ magorum fraudes, quibus hi irretire homines exiſtimabantur. Sic notas addiderunt (a) *atroces & occultas nominibus* eorum, quibus obeſſe cupiebant. Eodem revoco Romanis cum (b) legibus, tum (c) ſcriptoribus memorata *odii amoriſque pocula*, ea inprimis, quæ carmen aliave ſuperſtitio anteceſſit. Maxime autem execramur magorum ſacra, in quibus (d) homo ſæpius immolabatur, aliaque, quæ naturæ ſunt contraria, committebantur. Funeſta ea appellantur a lege (e) *ne quis*, malaque dicuntur a lege (f) Cornelia, qua ficarii & veneſi-

(a) TACITUS L. 2. Annal. C. 30.

(b) L. 3. §. 1. ad Leg. Corn. de ſic. & venef. L. 38. §. 5. ff. de pœn.

(c) PLIN. L. 28. C. 8. QUINCTIL. Declam. 14.

(d) vid. PAULLUS ſentent. L. 5. t. 23 §. 16.

(e) L. 7. C. Th. h. t.

(f) L. 13. ff. ad L. CORNEL. de ſic. & venef.

nefici comprimuntur. Hinc negabat (g) Servilia *impios ſeſe invocaſſe Deos.* Sacra enim eorum, ut (h) SERVIUS ad *Maronem*, Romani ſemper damnaverunt: Hinc (i) Dido:

(g) TACIT. Annal. L. 16. C. 31.
(h) ad l. 4. Æneid. v. 492.
(i) L. 4. Æneid. v. 492.

Teſtor cara Deos, & te Germana tuumque
Dulce caput, magicas invitam accingier artes.

Operabantur magi impiis ſacris ſuis, non ſolum, quo ſub *execrabili*, (k) ut Lex loquitur, *conſultatione*, *futura* explorarent, ſed etiam, (l) ut *quem obcantarent*, *defigerent*, *obligarent &c.* Quæ ille apud MARONEM ſuo exemplo (m) declarat.

(k) L. 9. C. Th. de pagan.
(l) PAULUS ſentent. l. 5. t. 23. §. 15.
(m) in Pharmac. v. 66.

Conjugis ut magicis ſanos avertere ſacris
Experiar ſenſus.

Tentabat præterea (n) Didius Julianus per magos populi delinire odium, militumque compeſcere arma, quem tamen, ut alios, ſua fefellit opinio.

(n) SPARTIANUS in eod. l. 7.

§. XX.

Magos etiam ex Romanorum ſententia conſuetudinem cum Dœmonibus habuiſſe, ſupra a nobis indicatum eſt. Quo referendi mihi videntur, quibus res eſt cum manibus. Quæ ſcientia Necyomantia ſeu Necromantia audit. Eos enim maleficos dictos fuiſſe, HIERONYMUS declarat. (a) *Sunt*, inquit, *malefici*, *qui ſanguine utuntur*, & *victimis*, & *ſæpe contingunt corpora mortuorum.* Evocabant magi animas mortuorum, non eo ſolum, quo, ſicut (b) FLACCUS oſtendit, reſponſa acciperent ab illis, ſed ut per eas aliis incommoda parent. (c) Hoc enim ex malefici verbo conſtat. Per Sacrificia denique a magis facta, (d) Neronem matris manes placare conatum fuiſſe, TRANQVILLUS prodidit. (e)

(a) Comment. in Dan. C. 2.
(b) Satyr. L. 1. Sat. 8. v. 29. jungatur AMMIAN. MARCELL. L. 28. C. 1.
(c) L. 6. C. h. t. L. 5. C. Th.
(d) in Neron. C. 34.
(e) vide præt. de magis PLIN. hiſt. nat. L. 30 C. 2. CURT. L. 7. C. 4

§. XXI.

Diximus multa, quæ de hac re, tum ex poetis, tum ex aliis ſcriptoribus, ſeſe ad manus nobis obtulerunt. Verum hoc fecimus non ea mente, ut omnibus, præcipue iſtis, quæ ex verſibus decerpſimus, fidem haberemus: Pictoribus enim, ait ille, & Poetis,

Quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas.

Verum hoc animo ea attigimus, quod rei illuſtrandæ conducerent, & quod ex poematibus de Vulgi opinione, cui Poetæ maxima ex parte inſerviunt, optime conſtet. Si igitur ex eis, quæ modo recenſuimus, de vulgi opinione ſimus edocti, novimus jam, quos magorum loco habeant leges, quia hæ a ſermone populi, cui feruntur, non diſcedunt. Hæc etiam facinora vera ſint, fictave fuerint, cum a magis tantum committantur, illud afferunt emolumenti, quod, ſi quando cum vero delicto comparentur, declarent, num facinus patratum ad magiæ, an ad aliud crimen, referendum ſit.

§. XXII.

(a) L. 1. C. d. malef. Ne quis autem perturbetur Lege (a) quæ perniciem, hominibus veneno allatam, graviorem cæde judicat, quæ gladio patratur, & ex eo colligat, maleficis hic etiam eſſe aggregandos, qui potionibus, herbisve peſtiferis, vitam mortalibus eripiunt, valetudinemque eis reddunt deteriorem, hæc quidem res nobis non eſt prætereunda. Illud utique memoria tenendum, venenorum verbo magicas artes ſæpius deſignari. Ita (b) FLACCUS canit:

(b) Carm. L. 1. Od. 27. v. 21. ſeq.

Quæ ſaga, quis te ſolvere Theſſalis
Magus venenis, quis poterit Deus.

Theſſa-

Theſſalia enim, ſicut a (c) PLINIO accipimus, magorum artis inprimis perita eſſe exiſtimabatur. Ideoque ab Atrace, Theſſaliæ oppido, Atracia venena dixit (d) Poeta:

(c) Hiſt. nat. L. 30. C. 1.

(d) VAL. FLACC. Argonat. L. 6. v. 447.

Quamvis Atracio Lunam ſpumante veneno,
Sciret & Hæmoniis agitari cantibus umbras.

§. XXIII.

Longe vero eſt crebrior uſus *venefici*, ſeu ejus, qui venena facit, pro homine, qui magicis artibus utitur. Lege enim Cornelia, quæ ſicarios & veneficos premit, non ſolum capite damnantur, qui venenis, ſed etiam qui (a) *ſuſurris magicis* homines occiderint. Pari modo, cum Imperatores ob communem lætitiam eo die feſto, quem Paſchatos nomine inſignimus, vinculis ſolverent omnes, qui cuſtodia tenebantur, vincti tamen relinquuntur, *adulteri, in majeſtate rei, malefici ſive venefici.* Satis ex eis, de quibus ſupra propoſuimus, conſtat, maleficos pro magis accipi. Neceſſe igitur eſt, ut veneficus, qui, intercedente vocula *ſive*, maleficum notat, magum ſignificet. Venefica quoque pro muliere, magicæ vanitatis ſtudioſa, (b) uſurpatur.

(a) JUSTIN. Inſtit. de publ. Judic. §. 5.

(b) HORAT. Epod. Od. 5. v. 71. 72.

Solutus ambulat veneficæ
Scientioris carmine.

(c) *Veneficum* etiam *pondus*, quo filii ſepulchrum ſolvi mater poſtulat, nominat QVINTILIANUS. Veneficia item magis ſæpius tribuuntur. Ita veneficia cantionesque a (d) TULLIO junguntur, (e) veneficiaque & *devotiones in Germanicum Cæſarem factas legimus atque repertas.*

(c) Decl. X. C. ult.

(d) C. 60. de clar. Orat.

(e) SVET. in Calig. C. 3. TACIT. L. 3. Annal. C. 13.

§. XXIV.

Liquere opinor, venenorum, venefici veneficæque que appellatione, uſum loquendi magos etiam, magorumque maleficia indicare. Nunc audiamus argumenta, quæ hoc loco iſtam ſermonis conſuetudinem retineri nos convincant. In promptu eſt, cum inſcriptionem, tum cunctas fere leges, quas enucleandas ſuſcepimus, ex Theodoſii Codice Juſtinianum eſſe mutuatum. Verum in Theodoſii Codice, modo hunc ſpectemus (a) titulum, lex reperitur nulla, quæ de venenis diſſerte verba faciat. Juſtinianus tantum illam ſanctionem, quæ de venenis quædam refert, & quæ à Diocletiano & Maximino Auguſtis profecta eſt, hoc loco ceteris imperatorum ſanctionibus interjecit. Certum illud eſt, eos, qui herbis venenatis damna inferunt, (b) neque ſub mathematicis, (c) neque ſub ceteris ſimilibus comprehendi. Malefici autem vocabulo, ſi Codicem Theodoſii ſpectemus, hujus generis venefici non continentur. De peſtiferis enim herbis à Theodoſio nihil omnino cavetur. Fac autem, voluiſſe Juſtinianum *malefici* verbum latius patere, & eos complecti, qui potionibus noxiis inſidias alteri ſtruunt, qua illi tandem pœna ſunt afficiendi? Num peſte ferali, ſupplicio magorum eos dignos cenſemus? Minime. Conſtat enim lege Cornelia, quæ *ſicarios* & *veneficos* ulciſcitur, diſcrimen eſſe conſtitutum inter illos, qui obſcuriori ſunt loco, & qui dignitate quadam ceteros antecellunt. (d) *Humiliores enim vel beſtiis ſubjiciuntur, alii ſolent capite puniri, altiores vero, bonis publicatis, in inſulam deportantur.* In magis autem puniendis leges nullam prorſus dignitatis habent rationem, ſed eadem omnes pœna afficiunt. Num igitur exi-

(a) de mathemat. malef. & cet. ſimil. L. 9. t. 16. C. Theod.

(b) §. 4. 5. ſeqq.

(c) vid. §. 28. ſequ.

(d) L. 3. §. 5. ff. ad L. Cornel. de ſic. & veneſ.

existimabimus, omne discrimen, quod Lex Cornelia facit, nunc esse sublatum, cum leges tamen ejusmodi quid expresse non sanciant? id quod equidem ferendum non est. His igitur argumentis adducimur, ut credamus, veneni verbo magorum maleficia a Justiniano reprehendi. (e) vid. L. 42. ff. de pœn.

§. XXV.

Reliquum est, ut illos etiam eximamus scrupulos, quos (a) Lex quinta forte injiciat. Ea enim, cum mathematicos magos, & *ceteros, quos maleficos vulgus ob facinorum magnitudinem appellat*, divinare prohibet, separare simul videtur magos a maleficis. Verum ista varietas, quam de hac re in legibus deprehendimus, perparum sæpius habet ponderis. Lex enim (b) septima magum, vel magicis *carminibus assuetum, qui*, eadem teste, *maleficus vulgi consuetudine appellatur*, quæstioni tradit. Ubi, ni velis credere, magum dici eum, qui alia ratione, quam carminibus, incommoda affert, magicis vero carminibus (c) assuetum esse illum, qui precibus nefariis nocet, non video, quomodo hi inter se differant. Sed quid multis te morer? Sic habeo, sic animum induco. Nullus unquam scriptor sermonem vulgarem diligentius retinuit, quam illud in legibus factitatum cognoscimus. Nec immerito. Cum enim ab eis voluntas Legislatoris intelligi debeat, de quorum fortunis saluteque decernitur, æquum est, ut ille ex eorum consuetudine verbis utatur. A (d) vulgo autem malefici dicti sunt magi, magicis carminibus assueti, & qui (e) funesta faciebant sacrificia. Etenim ex ejus generis sacrificiis (f) venena intestinæque cædes exibant, sæpius in eis homo (g) immolabatur, qua de

(a) C. h. t.

(b) h. t.

(c) L. 7. C. Theod. h. t.

(d) §. 15. 16. seqq.

(e) L. 7. C. Th. h. t.

(f) Exemplum in LIVIO L. 39. C. 8. seqq.

(g) in AMMIAN. MARCELL. L. 29. C. 2. verb. *quod exsecto.*

de re jam ãntea graviter cautum fuiſſe, (h) Paulus declarat. Malefici porro appellati ſunt Manichæi, incantandi vaticinandi deſiderio flagrantes. Adjungit enim eos (i) maleficis vetus Jureconſultus, (k) *exſecrabiles* eos nominant Theodoſius & Valentinianus, & Lex quinta eos teſtatur *ad imam* perveniſſe (l) *ſcelerum nequitiam.* Cum igitur hi omnes malefici a populo uſurparentur, pars vero eorum, ſpecie religionis, magicas fraudes abderent, pars auctoris nomine, ut Manichæi colerentur, eos quidem omnes his legibus teneri verbo *ceterorum* Auguſti oſtendunt. Illi ergo rei operam dederint Imperatores, ut perſpicue loquerentur, improbosque, omnibus diverticulis obſtructis, a maleficiis deterrerent.

(h) L. 5. t. 29. ſentent. recept. §. 16.

(i) in Collat. L. Moſ. & Rom. t. 15.

(k) Novella, quæ Valentiniani dicitur, t. 2. vid. præt. L. 3. C. Th. de Apoſtat.

(l) C. de hæret. & Manich. &c.

§. XXVI.

Illud jam haud præterierim, maleficorum numero non cenſeri, omnique ſupplicio liberari, (a) qui ad valetudinis curam, ad vindemias frugesque conſervandas, innocenter ſuffragia adhibent. Et quamvis (b) Conſtantius, Conſtantini filius, eum, qui anile incantamentum ad leniendum dolorem recitaverat, morte plecteret, (c) Valentinianus quoque & Valens eadem ſeveritate uterentur, eorum tamen leges, nec Theodoſio, quem juniorem vocant, nec Juſtiniano, dignæ viſæ ſunt, quas aut ipſi imitarentur, aut quibus in Codicibus ſuis, inter ceteras Auguſtorum ſanctiones, locum concederent. Verum de eo poſthac videbimus.

(a) L. 4. C. h. t. L. 3. C. Th. h. t.

(b) AMMIAN. MARCELL. L. 16. C. 8. ibi: pœnaliter interibat.

(c) id. L. 29. C. 2.

§. XXVII.

Ne vero, quos antiquitas magos venerata ſit, fileamus omnino, pauca de his in medium proferemus. Ex (a) Perſis erant oriundi ibique genus (b) doctorum vel ſapientum habebantur, tantoque erant in honore & pretio,

(a) PLIN. hiſt. nat. L. 30. C. 1.

(b) CIC. l. 1. de div. c. 23.

tio, (c) ut rex Perſarum eſſe non poſſet, qui ipſorum diſciplinam ſcientiamque non perceperat. Auctorem (d) Zoroaſtrem, regem Bactrianorum, habuiſſe dicuntur, cujus infantis adhuc cerebrum ita palpitaſſe ferunt, ut manum impoſitam repelleret, *futuræ*, ut refert PLINIUS, (e) *præſagio ſcientiæ.* Primus ille dicitur (f) magicas artes inveniſſe, & mundi principia ſiderumque motus diligentiſſime ſpectaſſe. Sciebant iidem (g) vaticinari, ſomnia conjicere. Luce prima, quæ noctem, qua templum Dianæ conflagraverat, ſequebatur, magi clamaverunt (h) perniciem Aſiæ natam eſſe. Pythagoram ab eisdem (i) plurima (k) accepiſſe volunt. Tantæ præterea erant autoritatis, ut ex eorum (l) ſententia Xerxes templa Græcorum inflammaverit. Poſtea ad plures, (m) quæ orientem verſus terras incolebant, gentes, magicarum artium ſtudium migravit. Ita in legatis, quos Parthi ad Sullam miſerant, cum quidam eſſent (n) magorum, illi ex notis corporis Sullæ prædixerunt, *cæleſtem ejus vitam & memoriam futuram.*

(c) CIC. de Divin. L. 1. C. 41.

(d) PLIN. hiſt. nat. L. 30. c. 1.

(e) Hiſt. nat. L. 7. C. 16.

(f) JUSTIN. L. 1. C. 1.

(g) ÆLIAN. Var. hiſt. L. 2. C. 17.

(h) CIC. de Divin. L. 1. C. 23.

(i) CIC. de fin. bon. & mal. L. 5. C. 29.

(k) JUSTINUS L. 20. c. 4.

(l) ibid.

(m) vid. LUCIANUS in Necyomantia ubi ope Chaldæi ad manes deſcendiſſe dicitur Menippus.

(n) VELLEJ. Paterc. L. 2. C. 24. PLUT. in Sulla.

XXVIII.

Supereſt, ut de ceteris ſimilibus, quos titulus noviſſime collocat, ſermonem inſtituamus. Eos omnes nobis recenſent (a) Lex tertia, quinta & ſeptima, quæ (b) *aruſpices Sacerdotes, illos, qui huic ritui miniſtrare ſolent*, ariolos, vates, augures, denique (c) omnes nominant, qui vaticinationibus ſeſe dedunt, gravique pœna coercent. Hos autem oportet, ut ceteris ſimilibus comprehendantur, in eisque conſtitutionibus oportet ut ſedes ſit & caput hujus quæſtionis. Nequaquam enim auguri, nequaquam aruſpici, nequaquam reliquis, quos modo recenſuimus, ea inprimis ætate, qua hæ leges ferebantur, (d) mathematici aut

(a) C. h. t. adde L. 1. 2. 4. 6. C. Th.

(b) L. 3. h. t.

(c) L. 5. C. h. t. L. 4. C. Th. h. t. v. *ſileat omnibus perpetuo divinandi curioſitas.* L. 7. C. v. *aut certe horum ſimile quid exerceas.* L. 6. C. Th.

(d) vid. §. 4. ſeqq.

aut Chaldæi nomen inditum eſt; Contra ea leges (e) ſejungunt Mathematicum ab augure, aruſpice &c. Augures etiam atque aruſpices a (f) Mathematicis diſciplina prorſus differunt. Ad Mathematicos igitur hi non pertinent. Malefici autem vocabulum aruſpici, ariolo, auguri, & iis, quorum deinceps fit mentio, inditum non eſt. Nec dum enim ulla vidi argumenta, quibus hoc poſſit affirmari; Quin (g) VALENTINUS & Valens, Imperatores, teſtimonium dicunt, haruſpices, qui non infimum in *ceteris ſimilibus* locum tenent, *nullam habere cum maleficis communionem.* Relinquitur, ut ad ceteros ſimiles eos referamus. Optime etiam, nec ſine gravi cauſa, hi *ceteri ſimiles* vocantur. Etenim in eo congruebant cum mathematicis, quod, quæ fore credebant, prædicerent. Illud modo inter mathematicos ceterosque ſimiles intereſt, quod Mathematici ex ſideribus &c. de eo, quod imminebat, judicarent, ceteri vero ſimiles ex aliis etiam rebus vaticinarentur. Nec a magis ceteri ſimiles adeo recedebant. Etenim illi etiam (h) de fato reſpondebant. Turbabatur autem ſæpius vaticinationibus iſtis, ſive a mathematicis, ſive a magis, ſive a ceteris ſimilibus eæ proficiſcerentur, reipublicæ ſtatus. Ea igitur fuit ratio, ut hos ſimiles magorum mathematicorumque, contemptim increparent Imperatores.

(e) L. 5. 7. C. h. t. L. 4. 6. C. Th. h. t.

(f) §. 5. ſqq.

(g) L. 9. C. Th. h. t.

(h) vid. §. 19. & paſſim L. 5. C. h. t. v. *ac magi & ceteri nec ad hanc partem.*

§. XXIX.

Primi *ceterorum ſimilium* a legibus notantur *aruſpices*, ſi DONATO fidem habeamus, ab Haruga, (quæ FESTO (a) harviga dicitur) ita (b) appellati. Harviga autem dicta eſt hoſtia, cujus adhærentia inſpiciebantur exta, (c) ab hara, in qua eam excludere veteres ſolebant, nomen mutuata. Varroni tamen in Pontificalibus libris ea vide-

(a) de verb. ſignificat.
(b) in TERENT. Phorm. Act. 4. ſc. 4.
(c) DONAT. Loc. cit.

videtur esse hostia (d) arviga, quæ cornua habet. Ultima aruspicis syllaba (e) a spectando ducta est, quia ex inspectione, num exta læta essent, an tristia, judicabant. Ab Hetruscis (f) eos, si CICERONEM audiamus, Romani, ut (g) numerum lictorum, insignia magistratuum, aliaque multa desumpserunt. Etruria enim de cœlo tacta scientissime (h) animadvertit, eademque interpretatur, quod quibusque ostendatur monstris & portentis. Ita Tanaquilis, tanquam peritæ, (i) ut *vulgo Etrusci*, cœlestium prodigiorum mulieris a LIVIO fit mentio. Hinc accidit nonnunquam eo tempore, quo (k) Romani cum Etruscis bellum gerebant, ut nemo esset, qui prodigia rite procuraret.

(d) de ling. lat. p. 26.
(e) QVINTIL. L. 1. C. 7. Orat. Instit.
(f) CIC. de div. l. 1. c. 1.
(g) LIV. L. 1. C. 8.
(h) ibid. C. 41.
(i) LIV. L. 1. C. 34.
(k) ibid. L. 5. C. 15.

§. XXX.

Accepisse dicuntur Etrusci artem Haruspicinæ a (a) Tage, eo quidem puerilis speciei, sed senilis prudentiæ. Hoc autem de Tuscis intelligendum est. Etenim aliæ etiam gentes fuerunt, (b) apud quas ea disciplina colebatur. Utebantur aruspicum opera Romani in sacris, ad exta inspicienda, num ea lætum tristeve portenderent. Ideo ille apud TULLIUM, divinatione (c) extispicum sublata, omnem haruspicinam tolli existimat. Causam, cur Etrusci extorum adeo essent periti, eam reddit CICERO, (d) quod crebrius hostias immolarent. Ex eorum igitur arte alia exta erant (e) regalia, quæ potentibus insperatum honorem, humilioribus hæreditates, filio familias dominationem pollicebantur, (f) alia muta erant, ex quibus nihil divinationis animadvertebatur. Alia item (g) trunca & turpia dicebantur, alia vero læta erant, qua de re veteres plura literis mandarunt. Hinc si exta bo-

(a) CIC. de Divin. L. 2. C. 23.
(b) CIC. de Div. L. 1. C. 41. L. 2. C. 12. seq.
(c) CIC. de Divin. L. 2. C. 18.
(d) L. 1. C. 42. de Divin. ubi plura.
(e) FESTUS sub voce regalis.
(f) FESTUS de verb. sign. subvoce muti.
(g) LIV. L. 27. C. 26.

na eſſent, litabatur, ſin trunca aut turpia, perlitari non poterat.

§. XXXI.

(a) CICERO de Divin. L. 1. C. 2. 18. 42. id. de haruſp. reſp.

(b) CIC. L. 1. C. 3. de nat. Deor. jung. FEST. de verb. ſignif. NONIUS de propr. ſermon.

(c) L. 38. ff. de verb. ſignif.

Interpretabantur etiam Haruſpices (a) oſtenta, prodigia, portenta, quo averruncaretur, ſi ea calamitoſi quid ſignificarent. (b) Portenta autem, prodigia, monſtra, oſtenta, inde dicta ſunt, quod portendant, prædicant, monſtrent, oſtendant. Oſtenta igitur, ut modo monuimus, ex eo ita nominata ſunt, quod aliquid oſtendant. Monita itaque Deorum Nonius ea appellat. Labeo oſtentum (c) ita definit, quod illud ſit omne contra naturam cujuſque rei genitum atque factum, duoque eorum genera ponit, unum, quoties quid contra naturam naſcitur tribus manibus forte, aut pedibus, aut qua alia corporis parte, quæ naturæ contraria eſt: alterum, cum quid prodigioſum videtur, quæ Græci φαντάσματα, id eſt, viſiones vocant. (d) Alii oſtentis boni quid, alii mali ſignificari credunt, quod illi faciunt, qui oſtenta oſtendere monſtra, remediaque præcipere, exiſtimant. Monſtra enim Romani vehementer horruerunt, demerſeruntque mari ſæpius, (e) ut ſemimares, Deosque, ſi monſtra nuntiata eſſent, placandos putarunt. CICERO vero læta (f) oſtentis ſignificari declarat. Sæpius etiam hac voce uſi Romani (g) pro prodigio & portento.

(d) FESTUS ſub voce portenti.

(e) LIV. L. 27. C. 37. L. 31. C. 12. AMMIAN. MARCELL. L. 19. C. 12. ſub fin.

(f) CIC. de Divin. L. 1. C. 33.

(g) FEST. in voc. oſtent.

§. XXXII.

(a) FEST. ſub voce Prodigia.

(a) LIV. L. 26. C. 23. & alibi.

(b) CIC. de Divin. L. 1. C. 41.

Procurabant iidem (a) Prodigia. Prodigium autem ſemper peſſimum teſtatur NONIUS, indeque eſſe dictum, *quaſi porro adigendum.* Ad prodigia refertur, (b) cum de cœlo tacti ſunt muri portæque civitatis. Et hoc nititur illud CICERONIS (c) *Etruria de cœlo tacta ſcite animadvertit.* Haruſpicis item Fulguratoris ex Catone mentionem facit No-

NONIUS MARCELLUS, librosque Etruſcorum (d) fulgurales & tonitruales CICERO memorat. Porro ſi cor in animalibus repertum non eſſet, prodigium erat. Plura ob eorum multitudinem dare non libet. Continentur prodigiis monſtra, a monendo, ut ait FESTUS, dicta. Ita igitur FABIUS, *ſi*, inquit, (e) *quam partem, in corpore noſtro aut ceterorum animalium, aut permutes, aut transferas, prodigium appellatur.* FESTO ſunt monſtra, quæ naturæ modum egrediuntur, ut ſerpens cum pedibus, &c. Leges vero hac de re tradunt, (f) *partum monſtroſum aut prodigioſum eum habendum, qui contra formam humanam converſo more procreatur, non autem illum, qui membrorum humanorum officia ampliavit.* Illud obſervamus, omnia, quæ Romanis Deorum placandorum imponebant neceſſitatem, a (g) LIVIO appellari prodigia, ut in his portenta, & oſtenta non ſine ratione incluſa eſſe videantur.

(d) L. 1. C. 33. add. ibid. libros haruſpicinos & rituales. LIV. L. 26. C. 23.

(e) L. 7. Præf. Inſtit. Orat.

(f) L. 14. ff. de ſtat. hom.

(g) LIV. L. 1. C. 56.

§. XXXIII.

Portentorum item curam gerebant haruſpices. Auctore (a) FESTO nuntiabantur ea, cum *corpora ſolita, quæ raro ſe oſtendunt, apparuiſſent, ut cometæ, barathra, turbines, tonitrua ſereno cœlo facta*, aliaque ejus generis. Marcellus portenti nomen ab eo inventum eſſe dicit, quod non ſolum aliquid portendatur, ſed quod jam oporteat & faciat. Si FESTUM audiamus, alii portentis (b) mali quid ſignificari, alii contra exiſtimant. Alii portenta indicare, quod porro tendatur, credunt. Pro eo, quod calamitatem impendere ſignificat, uſurpatur a (c) TULLIO. (d) Portentoſi quoque fœtus, qui Romanis ſemper erat inviſus, mentio fit apud SENECAM.

(a) FESTUS.

(b) jungat. LIV. l. 1. c. 56.

(c) de Divin. L. 1. C. 34. 43.

(d) L. 1. C. 15. de ira, aliique

§. XXXIV.

(a) L. 1. C. 2. de Divin. ita ex Manuſcr. Cantabrienſi legit Davies.

(b) vid. CIC. Orat. in Catil. 3. C. 8 SALUST. bello Catil. C. 47.

(c) CIC. de nat. Deor. L. 2. C. 4. LIV. paſſim, aliique.

(d) CIC. de divin. L. 1. c. 41.

(e) MAXIM. L. 1. C. 1.

Acciverunt Romani haruſpices, (a) quia eis magna vis in impetrandis conſulendisque rebus, & in monſtris interpretandis ac procurandis, in haruſpicum diſciplina (b) eſſe videretur. Magnæ apud Romanos erant autoritatis, adeo ut Conſules, cum aruſpicibus vitio creati viderentur, magiſtratu (c) ſe abdicarent, Senatusque decerneret, ut de principum filiis (d) ſex, ſeu, quod vult VALERIUS, (e) decem, ſingulis Etruriæ populis in diſciplinam traderentur, ne hæc ars ad tenuiores homines, & deinde ad quæſtum abduceretur. Hæc de haruſpicibus.

§. XXXV.

(a) vid. L. cit. 3. C. h. t.

(b) L. 32. de recept. & qui arbitr. receperunt §. ſacerdotio. 4.

(c) CIC. Orat. pro Balbo C. 24.

(d) POLYBIUS, DIONYSIUS HALICARNASS. & alii.

(e) LIV. L. 39. C. 16. L. 25. C. 1. L. 39. C. 8.

Succedunt aruſpicibus ſacerdotes, & illi, qui, ut (a) Lex loquitur, *huic ritui miniſtrare aſſolent.* Sunt autem (b) Sacerdotes, quos ſacris vacare oportet. Communis eſt hæc vox marium fœminarumque. (c) *Per Sacerdotes* enim *græcas* Cereris ſacra curabantur. Accipiendum autem hic eſt nomen Sacerdotis non de eo ſolum, quem populus ſacris operari voluit, ſed de omnibus, qui rem divinam faciunt. Negari equidem non poteſt, vix (d) ullam gentem æque ſtatas & a majoribus relictas retinuiſſe ceremonias, quam illud, libera adhuc republica, a Romanis factum eſt. Prohibebantur igitur illi, qui peregrino ritu ſacrificabant, (e) urbe, circo, foro, & ſacrificuli cum contemptu dicebantur. Verum hæc omnia commutata ſunt, cum unus ſummæ rerum potiretur. Quia enim in eligendo Principe, qui Auguſtus ſalutabatur, exercitus, Romanus ille eſſet, an barbarus, nullum diſcrimen faceret, domeſtica ſimul religio peregrinis miſceri cœpta eſt ceremoniis. Vocem igitur Sacerdotis cum de mare, tum de fœmi-

fœmina, cum de eo, qui ſacerdotio a Romanis præfectus erat, tum de vate ſacrificuloque, tuto hic accipias.

§. XXXVI.

Ariobs quoque in hunc gregem conjiciendos eſſe, ſupra dictum eſt. Sunt autem Arioli, qui motu quodam vehementiore concitati, oracula fundunt. Dubitat igitur DONATUS, num a (a) fando ita appellati ſint, an ab eo, quod halitu ſoliti fuerint excludere velut mortalem animam, ut divinam reciperent. Eadem innuit TULLIUS, cum (b) ariolorum vatumque furibundas prædictiones conjunctim pronuntiat. Haudquaquam tamen hiſce finibus ſe continuit harioli verbum ſed ad eos etiam, qui magicis ſacrificiis ſe polluebant, transductum eſt. Indicat enim Iſidorus, Ariolos propterea ita eſſe nominatos, (c) quod circa aras Idolorum nefarias preces emittant, & funeſta offerant ſacrificia, iisque celebritatibus Dœmonum reſponſa accipiant. Hoc tamen ariolorum genus maleficis potius, quam ceteris ſimilibus, ſubjungendum eſt.

(a) in TERENT. Phorm. Act. 4. ſc. 4.

(b) CIC. de Divin. L. 1. C. 2.

(c) de Orig. L. 8.

§. XXXVII.

Ab hariolis longe haud abeunt Vates, a fando, ſi (a) VARRONEM audiamus, ita appellati. Quod idem mihi monſtrare Paullus videtur, (b) vaticinatores, ait, *qui ſe plenos* Dei ſimulant, civitate expelli placuit. Sunt ii igitur Vates, quorum, ut cum TULLIO loquar, (c) animi, ſpretis corporibus, evolant, atque excurrunt foras, ardore aliquo inflammati. (d) Furibundas igitur vatum prædictiones, moxque oracula Tullius nuncupavit. Nec fortaſſe Poetis alia de cauſa vatis nomen impoſitum eſt, quam quod in eis (e) apparere debeat animi furentis vaticinatio.

(a) de Ling. Lat. verb. vaticinari.

(b) Sentent. recept. L. 5. t. 21. jung. JUSTINUS L. 18. C. 5. verb. *inſpirari vates.*

(c) L. 1. C. 50. de Divin.

(d) L. 1. C. 2. de Divin.

(e) PETRON. Satyric. C. 118.

§. XXXVIII.

Augurum quoque pravam confeſſionem conticeſcere jubet (a) Lex quinta. Artem eorum (b) Tireſias Thebanus inveniſſe narratur. Auguris vocabulum Feſtus tractum credit, ſive ab avibus & gerendo, ſive ab avium garritu. SERVIO autem illud eſt (c) quaſi avigerium. Augures autem Romanis erant, qui ex avibus, ceterisque ſignis ſuæ diſciplinæ nuntiabant, num res, quæ parabatur, Diis cordi eſſet, nec ne. (d) Sic corvus a dextra, cornix a ſiniſtra ratum faciebant. Sic fratrum geminorum, Romuli & Remi (e) controverſiam, uter regnaret, urbemque conderet, avibus eſſe diremtam accepimus. Aliorum vero ſignorum, quæ declarabant, num rei gerendæ obnuntiandum eſſet, an locus concedendus, illa ſufficiant, quod Jove tonante & fulgurante, comitia haberi (f) nefas eſſet. Cum auguria læta mitterentur, aves (g) addixiſſe formula erat, tumque res ſecundis gerebatur avibus.

(a) C. h.t. L. 4. C. Th. h. t.
(b) PLIN. hiſt. nat. L. 7. C. 56.
(c) ad Lib. 5. Æneid. v. 523.
(d) CIC. de Divin. L. 1. C. 39.
(e) LIV. L. 1. C. 7. 8. PLUT. in Rom.
(f) CIC. de Divin. L. 2. C. 18.
(g) LIV. L. 1. C. 36. L. 27. C. 16.

§. XXXIX.

Loca, in quibus auguria capiebantur, (a) auguraculorum voce deſignabant, ea vero, in quibus augurato quid conſecrabatur, auguſta appellata ſunt, indeque nomen Auguſti, (b) ſi TRANQUILLIO credamus, Octavius ſibi deſumpſit. (c) Auguriis ab initio uſi Romani. (d) Roma enim ipſa auſpicato condita eſt. Publicos vero augures a Numa primum conſtitutos eſſe, (e) LIVIUS tradit. Magnus auguribus habebatur honor, quod ſtatua auguri Accio (f) in comitio poſita, declarat. Obnunciabant illi comitiis, & ſummos in republica magiſtratus, ſi vitio creati eis viderentur, honoribus ſe (g) abdicare adigebant. Summæ auctoritatis eorum erat ſacerdotium, ita, ut nemo, qui

(a) FEST. & alii Romani plures.
(b) SVETON. in Aug. C. 7. vid. THEOD. GRONOV. marmor. baſin. p. 61. ſeq.
(c) CIC. de Divin. L. 1.
(d) LIV. L. 1. c. 20. PLUT. in Rom. aliique.
(e) L. 4. C. 4.
(f) LIV. L. 1. C. 36.
(g) LIV. L. 8. C. 23.

qui ex plebe natus esset, in illud cooptaretur. Plebem enim auspicia habere, (h) nefas ducebant Patres. Plebiscito tamen, Quinto & Ogulnio rogantibus, facto, (i) auspicia etiam ad plebem profecta sunt. Hoc tamen sæpius immutatum est. Appellat eos TULLIUS (k) internuntios Jovis, consiliarios ejus, & interpretes ex signis & auspiciis. Leviter perstrinxerim, Nonio augurια esse conjecturas, quas ex omnibus rebus colligere possimus, auspicia vero, quæ ex volatu avium earumque vocibus capiantur. Attamen de auspicio hoc non est perpetuum. Serpens enim, ut cum Vopisco loquamur, pelvem Aureliani pueri complexa, auspicium fecit, eum aliquando esse imperaturum. (l)

(h) id. L. 6. C. 41.
(i) id. L. 10. C. 6.
(k) L. 2. de LL. C. 8. L. 3. C. 19. de LL.
(l) in AUREL. C. 4.

§. LX.

Restant adhuc, qui, quacunque (a) illud fiat ratione, fata aliis nuntiare audeant. Hi autem in pœnam legis perspicue incurrunt. Imperatores enim, cum eis omnino displiceret, cives suos scrutari ea, quæ reipublicæ, aut ipsis instarent, Mathematicos, aruspices, augures, (b) vatesque silere jubent; postremo sanciunt, ne quis Chaldæus, aut magus quid ad hanc partem moliatur, (c) *& ut omnis perpetuo sileat, divinandi curiositas.* Ne quis autem a nostra avocetur sententia pœnæ magnitudine, *quia omnes, quicunque jussibus hujus legis obsequium denegaverint, gladio ultori subjiciuntur*, aliis jam argumentis, quæ ex eisdem oriuntur legibus, nostram opinionem confirmabimus. Lex septima aruspices, ariolos, augures, mathematicos, & eos, qui enarrandis somniis artem aliquam divinandi, aut aliquid horum simile exercent, etiamsi sint in Comitatu Cæsaris, (d) ad tormenta exponit. Et hic ut omittam, universalem (e) utriusque legis esse propo-

(a) L. 5. 7. C. h. t. L. 4. 6. C. Th. h. t.
(b) L. 5. C. h. t.
(c) L. citat.
(d) L. 7.
(e) L. 7. verb. *horum simile.* L. 5. verb. *sileat omnibus.*

propoſitionem, liber (f) certe homo, niſi (g) ex gravi delicto, non torqueatur. Multo difficilius cruciatus ad eos perveniunt, qui, ut Lex loquitur, (h) *ipſam prope pulſant majeſtatem*, ſiquidem illa immunitas, quæ eis a (i) plebejorum pœnis & quæſtionibus conceſſa eſt, (k) majeſtatis tantum crimine comminuitur. Si igitur *exercentes aliquid horum ſimile non fugiant cruciatus*, nec a quæſtionibus comites ipſorum imperatorum liberentur, conſequitur, fata prædicere, crimen eſſe atrox, & violatæ (l) majeſtatis ſimile. Supplicium itaque non niſi ſummum, & modo veritatis inveſtigandæ tam acerbo, conveniens eſſe poteſt. (m)

(f) l. 9. ff. & C. de quæſt.
(g) L. 3. C. de quæſt.
(h) L. 7. C. h. t.
(i) L. 11. C. de qu.
(k) L. 16. C. de qu. L. 4. C. ad L. Jul. majeſt. PAUL. ſent. recept. l. 5. t. 29. §. 2.
(l) L. 16. C. de qu. PAULL. in loco citat. jungat. l. 12. C. Th. de pag. ſacrificiis & templis.
(m) de variis divinat. generibus vid. PEUCERUM. FABRIT. Bibliograph. antiqu. p. 415. ſeq.

§. XLI.

Finita de eis tractatione, quos rubrum indicat, Legesque puniunt, deſcendimus ad cauſas, quibus inducti Imperatores, de illis tam graviter ſtatuerunt. Hic nihil ambigam, tam gravi ſupplicio ideo locum eſſe datum, quia ſacer Codex ſæpius & vehementer prohibuit, ne Judæi ariolis & eis, qui ex diebus res humanas pendere ſuperſtitioſe credunt, porro ne Judæi auguribus, magis, magicorum peritis carminum, vatibus, interpretibus ſignorum, animos elicientibus mortuorum, præberent (a) aures. Eas enim gentes, quæ ad hæc ſtudia animum adjecerant, Judæis Numen ſanctiſſimum ideo exſcindendas tradidiſſe, divina monemur voce. Eum etiam de ſocietate hominum (b) iri deletum Deus optimus maximus minatur, qui magum, conſulendi ejus gratia, adierit. Bileamus, cum prognatis a Jacobo, Iſraele dicto, bene precatur, illud huic genti magna in laude ponit, quod nullus ſit (c) magus in Jacob, nec ariolus in Iſrael. Quæ igitur major eſſe vis poteſt ad legislatorem in improbos conci-

(a) Deut. 18. v. 10. 11. Lev. 19. v. 26.
(b) Lev. 20. v. 6. jungat. Exod. 22. v. 18. Exempl. in Manaſſe 2. Reg. 21. v. 6.
(c) Num. 23. v. 23.

concitandum, quam divini verbi auctoritas, qua in Deo auctore innixa, homini Chriſtiano nihil poteſt eſſe gravius, & nihil ſanctius.

§. XLI.

Perſpiciet etiam, quicunque humana mente præditus eſt, crimen nullum eſſe tam capitale, quam illud, quod a mago, cui fœdus cum Dœmone contractum eſt, committitur. Cum enim duobus Dominis dicto obedientes eſſe non poſſimus, quid atrocius eſt, quam, tranſitione hoc modo facta, a Deo immortali deficere, & renunciare fœderi, quod, cum ſacro ablueremur fonte, ſummo cum Numine junximus. Quid denique levius, quam ſuam perdere ſalutem, & ejus ſe ſpoliare uſu felicitatis, quæ, anima a corpore morte disjuncta, initium capiet, exitumque habebit nullum? Quid igitur tam alienum ab hominis Chriſtiani moribus?

§. XLII.

Nec cum improbis tuta eſt ſocietas. Jam veteres de Mathematicis male ſentiebant. Genus erat hominum *potentibus infidum, ſperantibus fallax, quod tamen*, ut queritur (a) TACITUS, in civitate noſtra & vetabitur ſemper, & retinebitur. Negabat quoque EUDOXUS, PLATONIS auditor, illaque memoria, ut TULLIUS arbitratur, in Aſtrologia facile princeps, (b) Chaldæis in prædictione & notatione vitæ cujusque ex die natali eſſe credendum. Nec ab EUDOXO FAVORINUS diſſidet. Illud enim offuciarum (c) & præſtigiarum genus commentos eſſe exiſtimat homines æruſcatores, cibum quæſtumque ex mendaciis captantes. Eorum prædictiones (d) apud TULLIUM *monſtra*, (e) & a VALERIO MAXIMO *mendacia* appellantur. Vetus etiam Jureconſultus his utitur verbis, (f) *inter-*

(a) L. 1. C. 22. Hiſt.

(b) L. 2. C. 42. de Divin.

(c) GELL. L. 14. C. 1.

(d) L. 2. C. 42. de Divin.

(e) L. 1. C. 4.

(f) Auct Collat. LL. Moſaic. & Rom. t. 15.

interdicta eſt Mathematicorum callida impoſtura, & cum obſtinacitate perſuaſio. Potentibus infidi optime illi dicebantur, quoniam res novas molientibus, magna & incredibilia ad ipſorum nuntiarent voluntatem, & hac ratione excitarent ſeditiones, quamvis eidem, qui fallacibus movebantur promiſſis, ſæpius perderentur. Quod Ottonis exemplo fit perſpicuum. Nulla eum res ad arma, contra Vitellium capienda, compulit vehementius, quam Seleuci, aliorumque Mathematicorum auctoritas, *egregios (g) ſiderum motus, clarumque Ottoni annum nuntiantium.* Mox enim factæ ſeditionis pœnas Vitellius ab eo expetivit. Mathematici denique crudeliora ſæpius dederunt conſilia, quibus optimo cuique pernicies creabatur. (h) Tiberius enim Nero, cum ſtella crinita, quæ vulgo ſummis poteſtatibus exitium portendere putatur, per plures orta eſſet noctes, de ea re anxius, Babilum conſuluit aſtrologum, a quo, reſponſum tulit: *Solere reges talia oſtenta cæde aliqua illuſtri expiare, atque a ſemet in capita procerum depellere.* Tum ille *nobiliſſimo cuique exitium deſtinavit.* Illud Menippi audire juvat (i) ἀλλὰ κατὰ τὸς μάντεις τῦτο ποιεῖς, ἔθος γὰρ ὑμῶν μηδὲν ὑγιὲς λέγειν.

(g) SUET. in Otton. C. 4. TACIT. hiſt. L. 1. C. 22. adeat. PLUTARCH. in Mario, TACIT. L. 12. Annal. c. 68.

(h) SUET. in Ner. C. 36.

(i) LUCIANUS in Dialogo Menipp. & Tireſiæ.

§. XLIII.

Haud diſſimilis eſt cauſa vatum hariolorumque. Sæpius enim ab eis reſpublica turbata eſt. Exturbandos igitur illos ex civitate Romani prudenter cenſuerunt, ne, ut ait PAULLUS, (a) *publici mores ad ſpem alicujus rei corrumperentur, vel certe ex eo turbarentur populares animi.* Certe negotii plurimum vaticinationes, quæ de templo Cœleſtis emergebant, exhibuerunt (b) Pertinaci, cum adhuc pro Conſule Africam obtineret. Scipio etiam, ille, quem Africanum vocant, cum in Hiſpaniis exercitum

(a) Sentent. recept. L. 5. t. 21.

(b) Jul. Cap. in Pertinace. C. 4.

tum duceret, omnes ariolos caſtris juſſit exigi, quia vaticinationibus ſuis modo timore, modo ſpe militum implerent animos, & in cauſa eſſent, (c) ut multitudo regeretur impotentius.

(c) App. Alexand. de bell. Hiſpan. p. 517. edit. Tollii.

§. XLIV.

Magiam vero civitas bene morata inultam non relinquet. Eos enim quantum averſari par eſt, qui, Numinis depoſito metu, abjectaque religione, convincuntur ſocietatem iniiſſe cum Dœmonibus, divina damnatis ſententia, generique humano, ut eos nobis ſacer deſcribit Codex, adeo inimicis? Nullum enim ſcelus eſt tam atrox, quod illi committere non audeant. Quid enim tibi ab eo non metuas, qui conſuetudine cum ipſo fonte turpitudinis humanæ, miſeriarumque noſtrarum juncta, eo flagitii progreſſus eſt, ut, cetera delicta, tanquam levia, poſſit aſpernari.

§. XLV.

Auſpiciis porro quid incertius, quid fallacius, præſertim cum in ipſa augurandi diſciplina tanta fuerit veterum diſſenſio? Quæ enim auguria Dejotaro erant in uſu, ea plurimum a Romanis auſpiciis differebant, nonnulla etiam (a) erant contraria. Nec alia re, quam auſpiciis ac religionibus, commotus eſt Pharnaces, ut, iniquum in locum progreſſus, manus cum Cæſare conſereret, (b) & tanta cum clade cædeque exercitus in fugam ageretur. Nec fortaſſe alia de cauſa multa ejus diſciplinæ (c) TULLII ætate a Romanis ipſis ignorabantur, quam quod eis perſuaſum eſſet, niti doctrinam augurum civitatis potius regendæ ſcientia, quam certis ſuis rationibus & principiis. De haruſpicina eadem CATO exiſtimat, (d) mirari ſe, ait, quod haruſpex, cum haruſpicem viderit, non rideat. Parum

(a) CIC. de Divin. L. 2. C. 36.

(b) A. HIRT. Comment. de bell. Alexandr. C. 74.

(c) Cic. de Divin. L. 1. C. 15.

(d) CIC. L. 2. C. 24. de Divin. L. 1. C. 26. de nat. Deor.

(e) SUET. in Aug. C. 94.

etiam abfuit, quin (e) Veliternis haruſpicina interitum afferret. Cum igitur omnes hos divinandi incantandique conatus, de quibus nunc actum fuit, tanto habeat odio Deus immortalis, & tam gravia rebus publicis incommoda ex eis conflentur, vanæ ſpes, rerum novarum ſtudium, ſeditiones, bella inteſtina, aliaque ejus generis mala exinde naſcantur, magna utique imperatoribus fuit cauſa, ut, quoad tuto poſſent, huic tanto civitatis morbo mederentur, & ſuæ proviſerent ſecuritati, quamvis ad optatum conſequendum pœnis gravioribus eſſet opus. Temporum enim iſtorum ratio graviora ſupplicia poſtulabat. Cum illis enim, qui imperium appetebant, creberrime imperatoribus erat bellandum.

§. XLVI.

Nec odii expers in illud hominum genus fuit antiquitas. Sæpius enim negotium magiſtratibus a Senatu Romano datum eſt, ut vates foro, (a) circo & urbe arcerent. Chaldæos autem, libera adhuc civitate, Hiſpalus prætor (b) urbe & Italia intra decem dies abire juſſit. Deinde ab Agrippa, qui ædilitatis munus obibat, mathematicorum magorumque multitudo (c) urbe exacta eſt. (d) Fuſtibus eos cæſos, & civitate pulſos, Paulus memorat, perſeverantes autem eſſe in vincula publica ductos, aut in inſulam deportatos, vel certe relegatos. Neque multos in Auguſtorum numero reperias, qui (e) huic arti non accerrime obſtiterint. Severe admodum in mathematicos Tiberius animadvertit, omnesque, qui cives non erant, (f) morte affecit, eis autem, qui Romani erant, & divinandi ſtudio nuntium remittebant, veniam dedit. Illi vero Romanorum, qui ad eas ineptias revertebantur, in exilium miſſi ſunt. (g) Hoc eſt Senatus Conſultum, quod ſcripter

(a) LIV. L. 39. C. 16.

(b) VAL. MAX. L. 1. C. 4.

(c) Dio.

(d) Lib. 5. Tit. 21. recept. ſentent. §. 1.

(e) Auct. Collat. LL. Moſaic. & Rom. t. 15. §. 2.

(f) DIO in Tib. L. 57. TACIT. Annal. L. 2. C. 32. SUET. in Tib. C. 36.

(g) Collat. Moſ. & Rom. t. 15. §. 2.

ptor vetus obſcure memorat, & Conſulibus inſequentis anni male adſcribit. Idemque Tiberius, cum haruſpicinam, ſuſceptam a majoribus religionem, abolere non poſſet, inde tamen multa proficiſci videret, quæ imperatoribus eſſent pernicioſa, (h) ſecreto ac ſine teſtibus aruſpices conſuli vetuit. Claudio deinde Principe de mathematicis ex Italia exterminandis, (i) atrox, ſed irritum Senatus Conſultum factum eſt. VITELLIUS vero veraculis & mathematicis adeo erat infenſus, ut inauditum (k) quemque capite puniret. (l) A Divo Pio etiam de hominibus illis reſcriptum eſt. Haudquaquam tamen inter ſe congruunt conſtitutiones Auguſtorum, qui poſt illud tempus rempublicam tenuerunt. Severus enim, ut artem (m) publice profiterentur, Mathematicis, permiſit, Maximianus vero & (n) Diocletianus mathematicam judicarunt *damnabilem* eſſe & interdictam omnino. In eo tantum nihil diſcrepant Imperatorum edicta, quæ de illis emiſſa ſunt, qui divinandi peritiam profitentur, quod nefas ſit ea inveſtigare, quæ de Auguſto, aut de ſumma republica futura ſint. (o)

(h) SUET. in Tib. c. 63.

(i) TACIT. Annal. l. 12. c. 52.

(k) SUET. in Vitell. c. 14. vid. Caſ. in not.

(l) Collat. LL. Moſ. & Rom. T. 15. §. 2. vid. ibi plura.

(m) LAMPRID. in Severo c. 27.

(n) L. 2. C. h. t.

(o) PAUL. ſentent. l. 5. t. 21. §. 3. adde l. 9. C. Th. h. t.

§. XLVII.

Magno enim afficiebantur ſupplicio, qui de imperatore aut de ſumma rerum mathematicum percunctati erant. Capitis damnati ſimul cum eo ſunt, (a) qui interrogatus reſponderat. Negabat itaque (b) Servilia de Principis ſalute Magos ſe conſuluiſſe. (c) Neque Libo alia re interiit. (d) Servis etiam non licuit inquirere de ſalute Dominorum, pœna crucis illi propoſita, qui conſuluerit, ſervus vero, qui reſponſum dedit, aut ad metalla detruſus, aut in inſulam deportatus eſt. Ceteri, qui de ſua quæſierant ſuorumque ſalute, (e) mitius plectebantur.

(a) Auct. Collat. LL. Moſ. & Rom. t. 15. §. 2. PAUL. ſent. l. 5. t. 21. §. 3. AMMIAN. MARCELL. l. 19. c. 12.

(b) TACIT. Annal. l. 16. c. 31.

(c) id. Annal. l. 2. c. 30. 31.

(d) PAUL. ſent. recept. l. 5. t. 21. §. 4.

(e) Auct. coll. LL. Moſ. & Rom. t. 15. §. 2. ita ibi cum Jacobo Godofredo legit Schulting.

§. XLVIII.

Poſtea autem, quam ſumma orbis Romani poteſtas ad Chriſtianos delata fuit, omnes hæ ſordes & flagitia ſenſim pedetentimque exciſa ſunt. Eoque facilius a Chriſtianis negotium confectum eſt, quo altius verba iſta, quibus a Deo immortali homines, ineptiis iſtis vacantes, devoventur, animo inſederant. Qui Princeps Chriſtianorum ſacra profeſſus eſt, CONSTANTINUS, ille, qui ex virtute Magni cognomen invenit, (a) *magorum maleficia punienda, ſeveriſſimisque vindicanda legibus, decrevit.* Nec mitius cum magis egit Conſtantius, Conſtantino, quem modo nominavimus, genitus, quin etiam (b) graviori ſupplicio nefarium illud hominum genus compreſſit. Valentinianus etiam & Valens (c) *magicos apparatus celebrantes, competenti animadverſione macta re, perenni auctoritate cenſuerant.* Haruſpicinam autem Conſtantinus, inter primordia abolendarum ſuperſtitionum funditus delere cunctatus, metu plebis, cujus maxima pars antiquos retinebat ritus, (d) *ſecreto tantum haruſpices* conſulere vetuit. Et illud potius tum agitaſſe credimus Conſtantinum Imperatorem, cum haruſpices explanando prodigio, quod, (e) *palatio fulgure tacto, nuntiabatur, juberet adhiberi*, contra quam aliis videtur, qui arbitrantur, ab his præſtigiis haud omnino Conſtantinum fuiſſe alienum. Adducor tamen, ut arbitrer, ab omni penitus haruſpicinæ uſu Conſtantinum Romanos arcuiſſe, noviſſimis præſertim imperii temporibus. Etenim (f) EUSEBIUS, (g) CONSTANTIUS, magni iſtius CONSTANTINI filius (h) aliique verbis declarant expreſſis, noluiſſe Conſtantinum Romanos ſacris operari Deorum, idque interdicto publice fuiſſe cautum. Minime equidem ignoramus, (i) multa in eodem legi

(a) L. 4. C. h. t. l. 3. C. Th.

(b) L. 6. C. h. t. l. 5. C. Th. h. t.

(c) L. 7. C. Th. h. t.

(d) L. 1. 2. C. Th. h. t. l. 1. C. Th. de pag. & ſacrif. v. *ſacrificiis domeſticis.*

(e) L 1. C. Th. de pag. ſacrif. & templ.

(f) L. 4. c. 23. θυσιάς τε τρόπος πᾶς, c. 25. πάσαις μη θύειν εἰδώλαις.

(r) L. 2. C. Th. de pag. ſacrif. & templ.

(h) SOZOMENUS l. 1. c. 8.

(i) L. 2. in vit. C. m. C. 56. verb. ὁμίαν τοῖς πιστεύουσιν &c. it. l. 60. Conſtant. ad cæt. ſanct. C. 11. verb. ἀτιμώρητον Euſeb. de Laud. C. m. verb. τὶς ἀγνοῶν &c.

EUSEBIO

EUSEBIO, alibique, quæ noſtræ ſententiæ refragari videantur, vir prudens tamen affirmare non auſit, publica, quæ in jure adhuc exſtant, monumenta, & quæ tum temporis præcipue, cum condita erant, mendacii facile coargui poterant, nihil ad hanc rem comprobandam afferre ponderis, Euſebiumque, graviſſimum rerum ſua memoria geſtarum teſtem, ſibi ipſum repugnare. Verum ita potius ſententia ferenda eſt. Cum temporis ratio haud ita accurate ab EUSEBIO, aliisque, qui Conſtantini res geſtas literis expreſſerunt, ſit inita, credimus, cum illud, quod aliquando Romanis licuerit inceſtas ſuas celebrare ceremonias, tum, quod Conſtantinus, ſublato Maximino Licinioque, & noviſſimis præcipue temporibus, omnem nefarium Deorum cultum e republica exturbare cœperit. Pœna autem eis, qui ſacra publice faciebant, propoſita, aruſpicina quoque, quæ in extis occupabatur, impunita eſſe defierat. Quæ vero reſtat, haruſpinæ pars, quæ in prodigiis verſabatur explicandis, de ea etiam legibus ſanxiſſe Conſtantinum, teſtatur (k) EUSEBIUS. A (l) CONSTANTIO certe hac arte Romanis interdictum eſt. Verum redeunte ad funeſta paganorum ſacra Juliano, aruſpicina, auguria, ceteraque ejus generis inventa in lucem revocata ſunt, & vires receperunt. Id quod, ut ego quidem exiſtimo, Valentiniano Valentique (m) maxime obſtitit, quo minus ab omni plane aruſpicina Romanos excluderent. Illi enim tantummodo caverunt, ne haruſpicina nocenter exerceretur. A Gratiano demum & Valentiniano rei finis impoſitus eſt. *Cruciatus* (n) *enim ei minantur, quisquis mortalium inſpectione Jecoris, extorumque præſagio, vanæ ſpem promiſſionis accipere conaretur.*

(k) in vita C. m. l. 2. c. 45. verb. μήτε μαντείαις καὶ ταῖς ἄλλαις περιεργίαις.

(l) L. 5. C. h. t. l. 4. C. Th. h. t.

(m) L. 9. C. Th. h. t.

(n) L. 2. C. de pagan. ſacrif. l. 9. C. Th. de pagan. ſacrif. & templ. vid. præterea l. 12. C. Th. ibid.

§. XLIX.

§. XLIX.

De auguriis autem, ut credamus, Conſtantinum ſevere conſtituiſſe, (a) EUSEBII fide adducimur. Conſtantius certe non in augures ſolum, ſed mathematicos quoque, (b) denique in omnes, qui fata prædicere conantur, graviter animadvertit. Juliano tamen ad Idola defiectente, non potuit fieri, quin hæ etiam ſordes, modo deterſæ, in lucem iterum proferrentur. Id quod, ut ego quidem ſentio, Valentiniano, Valenti & Gratiano, Auguſtis, neceſſitatem attulit negandi, haruſpicinam, (c) *ullamque ſeſe a majoribus traditam religionem genus arbitrari* eſſe criminis. Mathematicos tamen Valentinianus & Valens (d) *recedere ab errore cohibito* juſſerunt, pœna capitis propoſita illis, qui eam artem docent aut diſcunt. Qua de cauſa (e) HONORII quoque & Arcadii lex quædam exſtat, quam ſuo loco perſequemur. Neque ab eo abhorremus, ut arbitremur, inſequenti tempore, cum Romani obedirent Gratiano, Valentiniano, Theodoſio, deinde cum illi Honorio & Arcadio, Auguſtis obtemperarent, omnia hæc facinora iterum graviſſime fuiſſe vindicata. Si enim unquam, ea (f) profecto ætate, paganorum religio profligata eſt. Haruſpicina (g) certe, ac reliqua ſacrificia nefaria, ab illis non impunita ſunt relicta. Et hæc rerum fuit facies, minime conſtans & perpetua illa quidem, (h) ſed pro ſeditionibus bellisque inteſtinis varia & turbata. Tandem negotio ſummam manum impoſuit Juſtinianus, legibus, quæ unquam de his criminibus prodierunt, in unum exemplar, quod Codicem nuncupamus, (i) congeſtis, eisque ad illud, quod placuerat, redactis, (k) partim omittendo, quod diutius in uſu eſſe nollet,

(a) in vita C. m. l. 2. c. 45. verb. περιεργίαις.

(b) L. 4. C. Th. h. t. l. 5. C. J. h. t.

(c) L. 9. C. Th. h. t. AMMIAN. MARCELL. l. 30. c. 9. v. *reperit.*

(d) L. 8. C. Th. h. t.

(e) L. 10. C. de Epiſc. aud. l. 12. C. Th. h. t.

(f) vid. tit. Cod. Juſt. & Theod. de pag. ſacrif. & templ.

(g) L. 7. C. Th. l. 9. l. 12. §. 2. C. Th. de ſacrif. & templ.

(h) L. 5. C. Th. de pag. ſacrif. & templ. SOZOMEN. Hiſt. Eccleſ. l. 7. c. 22.

(i) vid. JUSTIN. ad Senat. Conſt. de nov. Cod. faciendo.

(k) vid. Exempl. l. 7. 9. 10. C. Th. h. t. confer.

let, partim contrahendo (l) quæ antea diviſa fuerant. Quo jure adhuc utimur.

(l) L. 1. 2. C. Th. cum l. 3. C. Juſt. it. l. 8. C. Th. cum l. 8. C. Juſt.

§. L.

Hæ ſunt leges illæ, ad quarum inveſtigationem, ordine invitati, nunc deſcendimus. Hactenus enim nomina, quæ ex ſceleribus *mathematheci, maleſici, ceterique* ſortiti ſunt *ſimiles*, facinoraque eorum a nobis demonſtrata ſunt. Jam res poſtulat, ut etiam de vindicta, quam leges ab illis expetunt, videamus. Principio Codex Mathematicos nominat, quibus Chaldæos, aſtrologos, denique omnes contineri, qui ex numeris, ſomniis, cœlique ſitu res imminentes præcipere contendunt, ex eis, (a) quæ expoſuimus, elucet. Omnibus autem his (b) vita gladio finienda eſt. Ut enim Conſtantii utar verbis, *nemo Mathematicum conſulat. Sileat omnibus perpetuo divinandi curioſitas. Gladio ultore ferietur proſtratus, quicunque juſſibus noſtris obſequium denegaverit.* Conſequitur ex eis verbis, diſcrimen, quod, PAULLO teſte, aliisque, intercedebat, ſi (c) quem de ſumma republica, aut de re leviori mathematicus edocuiſſet, nullum amplius a legibus ſtatui. Nec illud temere ab Imperatoribus factum eſt, qui hoc modo credulis turbulentisque hominibus omne eripuerunt integumentum, quo animum velarent ſeditioſum.

(a) vid. §. 4. 5. 6. ſeq.

(b) L. 5. C. h. t. l. 4. C. Th. h. t.

(c) vid. §. 47.

§. LI.

Nec levius de illo ſumetur ſupplicium, qui a mathematico requiſiverit, quæ tandem de fine negotii ex arte ſua ille conjiciat. (a) Gladio enim, ut mathematicus, periturus eſt. Nec minuet legum ſeveritatem, ſi quis forte in re parva mathematici opera uſus ſit. Leges enim abſolute prohibent, ne tale commercium habeamus cum mathematicis. Ac ne illud quidem dubitamus, (b) cum manda-

(a) L. 5. C. h. t. verb. *nemo mathematicum conſulat.* deinde *juſſibus noſtris.*

(b) §. 7. inſtit. l. 6. §. 3. l. 22. §. 6. mandat.

mandati, quod contra bonos eſt mores, nulla ſit obligatio, ſed unicuique criminis ſui ſit ratio reddenda, eum etiam, (c) qui ex mandato mathematicum conſulit, gladii pœnam ſuſtinere.

(c) arg. l. 152. §. 1. de reg. juris v. *dejicit.* l. 7. §. f. ff. d. jurisdict.

§. LII.

Verum hanc legem, quam de mathematicis condidit Conſtantius, magna ex parte ab (a) HONORIO et THEODOSIO eſſe abrogatam, multis de cauſis opinamur. Domi vbivis naſcitur, humanarum ſanctionum eam eſſe naturam, ut, ſi quando Principi aliud conſtituere placuerit, antiquior conſtitutio reſcindatur (b) recentiori lege, utcunque hæc repugnaverit. Id quod hic uſu evenit. Accedit etiam, quod, ſi de ſuppliciis agatur, ea ſequi debeamus, (c) quibus rei atrocitas emollitur. Videmus autem, temperari ab HONORIO ſeveritatem Conſtantii, & errantibus conſuli. Nec de ſententia nos removet, quod utrumque & CONSTANTII & HONORII edictum eodem comprehendatur Codice. Hoc enim ipſum indicio eſt, auctoritatem juris a Juſtiniano legi poſteriori eſſe attributam. Sine ratione autem hoc HONORII edictum JUSTINIANUS non retinuit, qui antea clare indicavit, quod noviſſimum jus priori ſit potius. Idque eo majori de cauſa fecit, quia HONORIUS non abrogat, quæ a Conſtantio erant decreta, ſed his tantum aliquid derogat. Illud etiam ab omnibus intelligitur, peculiare quid, quod ad reliquas cauſas ejuſdem argumenti non ſit applicandum, ab HONORIO definitum non eſſe.

(a) L. 10. C. de Epiſc. aud. l. 12. C. Th. h. t.

(b) L. 4. ff. de Conſtit. Prin.

(c) L. 9. C. de LL. & Conſtit. Pr. l. 32. 42. ff. de pœn.

§. LIII.

De mathematicis (a) igitur jus ita reddendum eſt. Mathematicus, niſi codicibus *erroris proprii*, inſpiciente epiſco-

(a) L. cit. 10. de Epiſc. aud.

episcopo, combustis, *catholicam* religionem amplectatur, nec postea ad pristinam revertatur vitæ consuetudinem, non solum urbe Roma pellendus, sed omnibus etiam civitatibus arcendus est. Sin vero legi non obtemperaverit, aut, civitatibus extrusus, intrarit eas, aut *secreta erroris & professionis insinuaverit*, in insulam est deportandus. De illo autem, qui de futuro Mathematicorum prædictiones elicuit, nihil immutatum est.

§. LIV.

Reprehensione fortasse digni videremur, si paucis non illustraremus singulare illud exsilii genus, quod omnibus relegatos prohibet civitatibus, nec tamen eos in locum certum, aut in insulam compellit, & quod pro eo, ac nobis cognitum est, leges hic tantum in improbos statuunt. Constat exsulem (a) tribus fieri modis. Etenim damnati aut ab urbe (b) quadam & regione removentur, aut omnibus locis, nisi qui eis (c) ad domicilium concessi sunt, quod animadversionis genus lata fuga nominari solet; prohibentur commorari, aut insulæ vinculo constringuntur. Ad priorem relegationis speciem referre nullo modo possumus, quando quis omnium urbium privatur usu. De deportatione autem, quæ fit in insulam, multo minus hanc legem quispiam accipiat. Etenim, ut meminimus, ille demum Mathematicorum in insulam est exponendus, qui (d) aut ex legis sententia rite resipiscere nolit, aut postea ad maleficia reversus fuerit, aut professionis suæ & erroris secreta insinuaverit. Efficitur exinde, ut latæ fugæ supplicio HONORIUS Mathematicum afficiat. *Hodie enim* (e) *in aquæ & ignis interdictionem deportatio successit*, adeo ut quartum non detur genus exsilii.

(a) L. 5. de interdict. & relegat.
(b) exempl. in l. 7. §. 15. 16. 19.
(c) exempl. in l. 7. §. 8. 9. 19.
(d) L. 10. de Episcop. aud. verb. *nunquam redituri.*
(e) L. 3. ff. ad L. Jul. Peculat.

§. LV.

Omnes nobiſcum conſentire exiſtimamus, lata errare fuga, qui excellentioris imperii Romani partis, omnium commercio oppidorum, quæ pagis ſane præſtant, ſpoliatur. Qua ex re (a) egregia MARCIANO lux accedit. Illorum deinde, qui late a legibus fugantur, diſcimus (b) duplicem eſſe conditionem. Sunt enim, quibus vagari in agris licet, dantur etiam, qui finibus certis, ubi verſentur, circumſcripti ſunt. Libertatem autem in agris conſiſtendi, ubicunque velit, Mathematico eſſe relictam, vel ex eo conſequitur, quod ille in inſulam tum (c) demum transmittatur, quando in civitatibus fuit comprehenſus, minime vero, cum finibus, a judice ad habitandum præſcriptis, exceſſerit. Hanc tamen exſuli libertatem haud ita frequenter fuiſſe conceſſam, ex illis auguramur MARCIANI verbis, (d) *præter certum locum*, quibus conſuetudo illius temporis indicatur.

(a) L. 5. ff. de interdict. & releg.

(b) arg. l. 10. de Epiſc. aud.

(c) jungat. l. 28. §. 13. de pœn. l. 4. ibid.

(d) L. 5. ff. de interd. & rel.

§. LVI.

Lege eadem præcipiente, tempus etiam in inſula teret mathematicus, *qui ſecreta erroris ſui & profeſſionis inſinuaverit.* Nota res eſt, ſi cui quid in ſinum tradiderim, verbo inſinuare ſignificanter illud poſſe exprimi, (a) & inſinuari voce ſignificari, quod ſinu aliquid acceptum ſit. Inde orta loquendi formula, (b) *inſinuare ſe familiariter in alicujus ſermonem*, (c) *inſinuare ſe alicui comitate & obſequendi gratia.* Sed miſſa hæc faciamus, quæ pro multitudine ſua ubivis occurrunt. Deinde, ſi hallucinari licet, quia res, quæ alterius in ſinum defertur, ei etiam exponitur, manifeſtaque fit, vocis inſinuare uſus eo traductus eſt, ut *rem aliquam denotet ſignificare & effiere perſpi-*

(a) NON. MARCELL. de propriet. ſermonis.

(b) CIC. c. 5. de Leg. agrar. contra Rullum.

(c) JUSTIN. l. 5. c. 2.

perſpicuam. Eademque mente (d) leges hoc vocabulo uſæ ſunt, *aliud eſt ſuam fideicommittentis voluntatem hæredibus inſinuare*, quibus (e) MACROBIUS adjungendus, ubi ille, inſinuabo, ait primum de Saturnalibus, quod vir ſummus, CLAUDIUS SALMASIUS (f) per δειδάσκειν, ἐμφανίζειν reddit atque explanat, Gallorumque *enſeigner* ex eo originem ducere, ſibi perſuadet. In ſenſus cadit, oportere nos hanc legem ita interpretari, & hanc ſermonis retinere conſuetudinem, Jureconſultis (g) antea uſitatam. Optime enim hoc congruit cum verbo *ſecreta*, quæ inſinuari, ſeu, ut vertamus, patefieri, aliisque enunciari, Imperatores non ſinebant. Ratione etiam, quæ legi huic cauſam dedit, adjuvamur. Mathematicis fas non erat civitates adire, ne rerum novarum cupidis, qui eis uti vellent, eſſent ad manum. Quid igitur, ſi vocabulo *inſinuare* non omnia Mathematicorum reſponſa cohibebantur, Principum intererat, utrum factioſi homines in urbibus, an in agris eorum opera fruerentur. In inſulam itaque conjicietur Mathematicus, qui ſecreta erroris & profeſſionis ſuæ ediderit, aliisque aperuerit. *Secreta* autem *erroris* eorum ſive hac ratione dicuntur, quod ars, quæ hominibus rerum eventus denuntiat, ab ipſis majori in pretio, & ideo occulta haberetur, ſive quod illa, quæ nobis accidunt, Deus immortalis obſcuritate involverit, hominesque celet. Et hanc ob cauſam optimo jure Mathematicorum erroris fit mentio. Profeſſio autem, cum ipſam oſtendit declarationem, (h) quam quisque rem, aut quod vitæ genus ſequi ſtatuerit, & (i) de turpioribus etiam uſurpatur facinoribus, tum illud denotat, quod aliquando Mathematicis conceſſum fuit, ut (k) *profeſſi ſint, ut docerent.* Idcoque teſte auctore veteri, (l) profeſſio tantummodo, non

(d) L. 11. de Legat. 3. §. 2.

(e) L. 1. c. 4. Saturnal. l. 1. C. de fid. Cathol. l. 2. C. Th. eod. tit.

(f) ad Solinum p. 19. it. ad Julii Capitolini imperat. Verum. C. 1. LABBÆI Gloſſarium latino græcum p. 79.

(g) Leges ſupra citatæ.

(h) TACIT. l. 1. hiſt. c. 1. & alii.

(i) id. l. 2. Annal. c. 85. &c.

(k) ÆLIUS LAMP. in Severo c. 27. Collat. LL. Moſ. & Rom. t. 15. de mathem. & Manich.

(l) Auct. Coll. LL. Moſaic. de Mathem. & Manich.

non notitia ſtudii illius prohibita fuit. Si quis autem ex eis, quæ modo protulimus, conjiciat, non ſolum libertatem reſpondendi de fato, ſed etiam fatalis doctrinæ propagandæ, Mathematicis fuiſſe (m) ademptam, eidem nos minime repugnamus.

(m) jungat. L. 8. C. h. t. l. 8. C. Th. h. t.

§. LVII.

Habuimus hæc, quæ diceremus, de Mathematicis. Nunc tranſimus ad maleficos. Pluribus ſumus perſequuti, Maleficorum nomen magos eſſe nactos, eosque pro magis haberi, qui vel cum Dæmonibus, a ſummo Numine ad carceres detruſis, ſocietatem paciſcantur, vel cantionibus, carminibus, aliisque ſuperſtitioſe & improbe utantur ineptiis, quibus nihil unquam virium ad impetrandum optatum natura inſevit. Magos autem, ut lex eſt horrendi carminis, (a) *elementa turbare, vitam inſontium labefactare non dubitantes, & ventilare, manibus accitis, auſos, ut quisque ſuos conficiat malis artibus inimicos, quia naturæ peregrini ſunt, peſtis feralis abſumat.*

(a) L. 6. C. h. t. l. 5. C. Th. h. t.

§. LVIII

Novimus de peſte *ferali* varias eſſe eruditorum opiniones. (a) Accurſius, qui verbum ferale a feris emanare arbitratur, altius rem petit, magosque eadem peſte, qua feræ interire ſolent, ferro ſeu gladio delendos autumat. Verum largiamur Accurſio, viros doctos facile poſſe in eam incidere conjecturam. Quid opus erat Conſtantio tam lugubri *peſtis feralis* voce, cur tam dira idem utitur atrocium factorum commemoratione, ſi non graviorem Magos, quam Chaldæi pendunt, luere pœnam voluiſſet. Quare tandem tam multis verbis gladii ſupplicium obſcuraſſet?

(a) ad hanc legem.

raſſet? Inepte etiam Conſtantius verba elegiſſet tam truculenta, niſi gravius quid de magis decerneret. Antea (b) enim magos vivos combuſtos, (c) beſtiisve objectos fuiſſe ex Paulo cognoſcimus. Græci profecto, qui commentationibus ſuis libros illuminarunt, quibus recentiores Imperatorum Græcorum ſanctiones continentur, iſta verba in hanc partem non interpretati (d) ſunt. Satis, opinamur, apparet, Accurſio nos nullo modo poſſe aſſentiri.

(b) PAUL. ſentent. l. 5. t. 23. §. 17.
(c) id. l. 5. 23. §. 15.
(d) Baſilicon. l. 60. t. 39. p. 701. ex edit. Fabrotti. PHOTIUS in Nomocan. t. 9. c. 25.

§. LIX.

Diſcedamus igitur a ſententia Accurſii, ſatis abundeque labefactata. Alia eſt ſententia viri doctiſſimi, (a) DIONYSII GOTHOFREDI, qui *peſte ferali* flammæ ſupplicium magis irrogari exiſtimat. Rationem, qua nititur, eam reddit, quod placuerit Imperatoribus, eodem incendio ſceleratos iſtos conflagrare, quo ipſi hoſtias, quas diis manibus immolabant, & quæ ceremoniæ feralia appellabantur, conſumebant. Inficiari equidem non poſſumus, (b) feralia Romanis fuiſſe feſta, quæ in honorem mortuorum celebrabantur. Hinc (c) feralis dicitur urna, quæ reliquias cuſtodit mortuorum, ipſæ reliquiæ dicuntur (d) ferales, & quæ ad (e) ſepulturam pertinent, feralia nuncupantur. Neque diſſimulamus, (f) olim etiam magos igni eſſe necatos. Optime etiam huic ſupplicio convenit tam (g) acerba *peſtis feralis* vox, ſiquidem, ut ex Paulo colligimus, ignis ſupplicium habebatur gravius, quam cum beſtiis reus objiceretur, aut in crucem tolleretur. Verum hanc etiam DIONYSII conjecturam multæ difficultates circumſiſtunt. Etenim in eo, quod ab igni, quo in feralibus hoſtiæ exurebantur, ad magorum exuſtionem argumentatur, magna circuitione vir eruditus uſus eſt.

(a) ad dictam Legem.
(b) VARRO de Ling. Lat. l. 5.
(c) TACIT. annal. l. 3. c. 1.
(d) id. l. 2. c. 31.
(e) id. l. 1. c. 62. jungat. QUINTILIAN. Decl. 12. p. 110.
(f) PAUL. l. 5. t. 23. §. 11 – 17.
(g) Loco cit. PAUL.

est. Ex *feralis* autem vocabulo, cum illud etiam ad alia, quæ (h) atrocia sunt, transierit, sententiæ DIONYSII nihil ponderis accedit. PAULI etiam testimonium hac lege multo est antiquius. Et ne monumenta quidem rerum Romanarum, quæ post hanc legem gestæ sunt, DIONYSIO GOTHOFREDO satis suffragantur. Quin interpretes Græci, quos modo laudavimus, (i) PHOTIUSque renuunt. Quæ cum ita se habeant, docto isti viro accedere, non immerito dubitamus.

(h) vid. l. 1. C. Th. de parricid. verb. ferales angustiæ. AMMIAN. MARCELL. l. 19. c. 12. l. 22. c. 5. MINUTIUS FELIX Octav. c. 7.

(i) Basilicon l. 60. t. 39. p. 701. PHOTIUS in NOM. t. 9. c. 25. text. & Schol.

§. LX.

Aliter item de peste ferali sentire videmus (a) insignem omni literarum genere Virum, JACOBUM GOTHOFREDUM, qui fretus auctoritate Græcorum, magos bestiis objectos opinatur. Id quod a moribus veterum haud abhorret. (b) Paulus enim testimonium perhibet, eos, *qui sacra impia, nocturna, ut quem obcantarent, defigerent, obligarent, fecerint, faciendave curarint, aut cruci affixos, aut ad bestias datos esse*, quibus (c) etiam *magicæ artis* conscii dilaniandi offerebantur. Fatemur equidem, si expendamus, quod vocabulum *ferale*, quantum nobis quidem cognitum est, minime a feris, sed ab inferiis descendat, & deinde ad omne, quod triste & acerbum est, transeat, multum adhuc scrupuli nobis residere. Quæ nostra dubitatio augetur, si temporis intervallum, quod inter hanc Constantii legem & libros, quos Basilicon vocant, eorumque interpretes interjectum est, animo contemplemur. Fac, oportere nos tempus ab eo metiri momento, quo Justinianus Imperator Codicem confecit suum, magnus certe hic etiam, quo Græci ab Justiniani ætate absunt, numerus annorum efficitur. (d) Eo tamen ani-

(a) ad l. 5. in Cod. Theodos. Basilicon l. 60. t. 39. p. 701. PHOTIUS in NOMO CAN. t. 9. c. 25. cum textus tum Scholia.

(b) Sentent. l. 5. t. 23. §. 15.

(c) Id. loc. cit. §. 17.

(d) jungat. JACOB. GOTHOFR. ad l. 9. C. Th. de pag. sacrif. & templ.

animus inclinat, ut illis Græcorum monumentis aſſenſum præbeamus, hac inprimis ratione commoti, quod meliora, quæ ſequamur, nobis deſint, & quod Græcis iſtis fortaſſe, cum in ea verſarentur republica, cui hanc legem Conſtantius ſcripſerat, & quam legem ne poſteriores quidem Græcorum Imperatores rejecerant, contigerit de illo ſupplicio certius quid, quod literis mandarent, explorare.

§. LXI.

Reliqua, quæ Lex (a) eadem comprehendit, lucem vix ullam deſiderant. Per eos enim, qui elementa turbare audeant, ſceleris coarguuntur, qui (b) in *maturas vindemias, imbres, ventos aut grandinis lapidationes* immittunt, quæ poſſe carminibus excitari, (c) Romani olim crediderunt. *Vitam hominum labefactat*, qui mortalium valetudinem efficere deteriorem, fragileque corpus humanum peſſundare elaborat. Subjicit his Lex, & (d) *manibus accitis, audent ventilare, ut quisque ſuos malis artibus conficiat inimicos.* Neminem fugit, magos profeſſos eſſe (e) evocandorum manium ſcientiam. Ventilandi autem vox, ventum (f) nos movere, indicio eſt. Deinde, quia illa, quæ ventus rapuit, modo in hanc, modo in illam partem magna jactantur celeritate, ventilatores etiam dicti, qui inſigni celeritate uſi re modo huc modo illuc devoluta admirationem ſpectantium (g) ſibi conciliant. Tandem ſicut ventus ea ſæpius vertit, quæ vi ſua agitat, ventilare cauſam dicimus, quam ſæpius ponderamus & diligenter, quod ſermonis (h) genus legibus inuſitatum non eſt. Et profecto nihil hic aliud, quam tractatio ejus, *quomodo*

(a) L. 6. C. h. t. L. 5. C. Th. h. t.

(b) a contrario L. 4. h. t. L. 3. C. Th. h. t.

(c) cit. Leges. Jungat. PLIN. L. 28. C. 2. ſeq. hiſt. nat.

(d) hæc totidem fere verbis Canon nec mirum C. 26. qu. 5.

(e) §. 20. Jungat. AMMIAN. MARCELL. L. 29. C. 2. PHOTIUS in Nomoc. t. 9. C. 25.

(f) SVETON. in Auguſt. C. 82.

(g) QVINTIL. Inſtit. Orat. L. 10. C. 7.

(h) L. 6. C. pro Socio.

 do

do quisque malis artibus ſuos conficiat inimicos, a Conſtantio refrenatur. Eleganter etiam, ſi (i) JACOBO GOTHOFREDO aures præbeamus, magi ventilare dicuntur, quia fraudes ſuas cum inepta corporis jactatione, quæ ventilatorum eſt propria, plerumque diſſeminabant. (k) Artis autem nomen leges magorum diſciplinæ ſæpius tribuerant.

(l) ad L. h. C. Th.

(k) L. 4. L. 6. C. h. t. L. 3. 5. C. Th. h. t.

§. LXII.

Lex tamen non omnes, qui nomen magorum ferunt, eodem necat ſupplicio, ſed occumbunt *peſte ferali* illi tantum, (a) qui *contra ſalutem hominum moliri, & pudicos animos ad libidinem deflexiſſe*, aliaque commiſiſſe, (b) quæ his ſimilia ſunt, detegentur. Mago enim, qui futuri cognitionem aliis impertiit, (c) gladius mortem afferet. Acerbioris tamen ſupplicii cruciatus ille ſibi arceſſere poteſt, ſi fata (d) ſub exſecrabili conſultatione indagaverit, aut eis ſe contaminaverit flagitiis, ut cum omnibus magis non immerito humani generis (e) inimicus judicari mereatur. Crimini porro non vertuntur *humanis corporibus quæſita* (f) *remedia*, *aut in agris innocenter adhibita ſuffragia*, ne propinquis vindemiis maturisque frumentis venti grandinesque calamitatem inferant. Mirari nos fatemur, ſpecie utilitatis ita captos fuiſſe Auguſtos, Chriſtianis jam ſacris imbutos, ut eosdem conatus, pro eo, quod inde naſci credebant, vel incommodo, vel emolumento, aut acerrime prohiberent, aut inconſulte permitterent. Denique cum ex eo, quod ab AMMIANO MARCELLINO proditum eſt, ratiocinari poſſimus, non ſemper eandem ſuffragiorum, reliquarumque nugarum fuiſſe (g) libertatem,

(a) L. 4. C. h. t. L. 3. C. Th. h. t.

(b) L. 6. C. h. t. L. 5. C. Th. h. t.

(c) L. 5. C. h. t. L. 4. C. Th. h. t. verb. *ac magi.* deinde *quicunque juſſis noſtris.*

(d) L. 2. C. de pag. templ. L. 9. C. Th. h. t.

(e) L. 7. C. h. t. L. 6. C. Th. h. t.

(f) vid. AMMIAN. MARCELL. L. 29. c. 2. & paſſim. Jungant. PLINIUS, QUINTUS SERINUS, SAMMONICUS, Scriptores rei ruſticæ &c.

(g) Locis citatis & alibi. Jungat. L. 1. ff. de extraord. cognit.

vix

vix cogitando aſſequimur, cur nec Theodoſio, quem juniorem vocant, nec Juſtiniano res digna fuerit viſa, quam, aut priorum imperatorum legibus retentis, reprimerent, aut ipſi ſuis ſanctionibus exſtirparent. A Leone profecto hoc vitium ſublatum eſt, (h) ſummo ſupplicio in illum conſtituto, qui carmen ad valetudinem tuendam incantaret, & qui alia, quæ ejusdem eſſent notæ, perpetraret. Huic vero legi, cum Græcis ea tantum promulgata, nec a nobis in noſtræ reipublicæ uſum cum Juſtiniani operibus verſa ſit atque accepta, locus apud nos nullus relictus eſt. (i) Illud addere alienum non eſt, in medicorum numero habendos non eſſe, qui *imprecando, incantando, exorcizando*, quod verbum impoſtorum erat proprium, morbis mederi conabantur.

(h) Nov. Conſtit. 65.

(i) L. 1. ff. de extraord. cognit.

§. LXIII.

Edicitur etiam, (a) aut unusquisque, qui maleficiorum labe pollutum aliquem *audierit, deprehenderit, occupaverit, eum, tanquam hoſtem communis ſalutis in publicum protrahat, & oſtendat* (b) *judicum oculis.* Nihil eſt cauſæ, ut in his explicandis commoremur. Illud tantum non præteribimus, vocem *audire* hic non de quovis rumore, ſed de certiori quadam cognitione, accipiendam eſſe. Verbum autem (c) occupandi tenere notat, ac in poteſtate habere. Addit his *Lex, quod ſi quisquam ex agitatoribus, ſeu ex quolibet alio hominum genere contra hoc edictum venire* (d) *tentaverit, ut etiam clandeſtinis ſuppliciis manifeſtum reum maleficæ artis oppreſſerit, ultimum ſupplicium non evadat.* Fatemur utique gravius quid hic ab imperatoribus conſtitui. Etenim ſi ea, quæ in hoc edicto antecedunt, conſideramus,

(a) L. ult. C. h. t. L. 11. C. Th. h. t.

(b) C. Th. judiciorum.

(c) NON. MARCELLUS.

(d) Codex Theodoſ. *temptaverit* per πειρᾶσθαι hoc exponit Gloſſarium Labbæi.

mus, contra hanc legem facit, capitalique condemnandus est sententia, qui maleficio contaminatum audivit, deprehendit, occupavit, de eo tamen ad judicem nihil detulit. Id quod apparet ex vocula (e) *aut*, cujus ea plerumque est significatio, ut res, quibus illa additur, inter se discernat. Ea igitur nobis est indicio, utrumque delictum capitali pœna esse vindicandum. Exstant ubique vestigia odii, quod in maleficos ceterosque Imperatores susceperant. Ita eos Augusti, quamvis in ipsorum (f) sint comitatu, torqueri volunt. Ita Constantius quondam æque, ac in majestatis violatæ judicio, non sinebat (g) magorum filios admitti ad hæreditatem patris, eo crimine condemnati; ita nunc non secus, ac si majestas imperii vindicaretur, illi etiam puniuntur, qui scientiam ejus rei habuerunt, rem tamen (h) tacuerunt tam atrocem. Tandem Lex causas affert, cur ille, qui magum clam de medio sustulit, ultimo sit supplicio afficiendus, *quia*, ait Lex, *geminæ est suspicioni obnoxius, quod aut publicum reum, ne facinoris socios publicaret, severitati legum & debitæ subtraxerit quæstioni, aut proprium fortassis inimicum sub hujusmodi vindictæ nomine confecerit.*

(e) verb. *aut clandestinis.* vid. L. 124. de verb. signif.

(f) §. 74.

(g) L. 2. C. Th. sequ. de bon. proscr.

(h) L. ult. C. §. 6. ad Leg. Jul. maj. Jungat. L. 12. C. Th. de pag. sacrif. & templ.

§. LXIV.

Verum in eadem sanctione, in qua explananda versati modo sumus, fit mentio *agitatorum*, de quibus nonnulla afferre operæ pretium erit. (a) De eo eruditi consentiunt, per agitatores aurigas intelligi, qui tempore spectaculorum in circo cum bigis, trigis & quadrigis decurrebant. Postulabantur illi sæpius veneficii, (b) sicut JACOBUS GOTHOFREDUS erudite animadvertit, id quod in eorum

(a) vid. JAC. GOTHOFR. ad h. L. C. Th.

(b) ad hanc legem C. Th.

eorum perniciem verſum eſt. Cum enim morum diſciplina Romæ inciperet ſolvi, illi, qui ære erant alieno obſtricti, accuſatorem ſubornabant aurigæ, ut venefico, metuque judicii ab accuſato tantum extorquebant, quantum ad exſtinguendum nomen (c) deſiderabatur. Agitatores igitur ideo Lex Nomine expreſſit, quia iſti inprimis hac laborabant infamia, & ex ſociis eum optime poterant indicare, qui, ut palmam conſequeretur, ad pravas in certamine artes confugiſſet. Illud adhuc proponendum eſt, gladii (d) pœnam ei irrogari, qui per magum futura exploraverit.

(c) AMMIAN. MARCELL. l. 28. c. 4.

(d) L. 5. C. h. t. verb. *ac magus, quicunque.*

§. LXV.

Confecimus, quæ de magis eorumque ſupplicio legibus conſtituta ſunt, nunc *ad ceteros ſimiles* oratio deſcendit. Curæ nobis fuit, ut inveſtigaremus, quos *ceterorum ſimilium* nomine leges ſignificent, & expedivimus, Aruſpices, ariolos, vates, tandemque omnes, qui divinandi ardore flagrant, in numero eorum collocari. Ceteros autem ſimiles (a) æque ac Mathematicos, gladio leges ſubjiciunt. Neque iſtam mortem declinabunt, quorum (b) rogatu *a ceteris ſimilibus* oracula fuerint edita. Quamvis enim lex, ſi verba ejus intueamur, illos tantum capite multet, qui ariolum, aruſpicem aut mathematicum de rerum eventu percunctati ſunt: nos tamen remur, eodem ſupplicio omnes, qui de futuris ſolliciti ceteros adierunt ſimiles, afficiendos eſſe. Etenim qui conſulit augurem aut alium quemvis, ille idem delinquit, ac ſi a Mathematico, quid ſibi in poſterum portendatur, expiſcatus eſſet. Leges quoque, cum in eo elaborent, ut omnem divinandi libidinem hominibus extorqueant, con-

(a) L. 5. *ſupplicio capitis gladio ultore.*

(b) verb. *nemo aruſpicem conſulat, nemo ariolum.*

ceſſa a legis pœna excuſatione, ſi quis ope alius, quam mathematici, aruſpicis, aut arioli ad futura prænoſcenda uſus ſit, capitis ſupplicium fruſtra minarentur. Nec mitiorem pronuntiari ſententiam jubent leges, ſi quis de leviori & domeſtico negotio a *ceteris ſimilibus* prædictiones evocaverit.

§. LXVI.

Poſtulat ratio inſtituti, ut verba ejusdem legis *augurum & vatum prava* (a) *confeſſio conticeſcat*, paucis explicemus. Quæ diſciplina fuerit augurum, quæ vatum ſcientia, conſtat. *Confeſſionis* autem verbi hoc in loco inuſitata fere eſt ſignificatio. Cum enim alias (b) *confiteri & profiteri hoc diſtent, quod profiteri ſit voluntatis, confiteri vero neceſſitatis, illique* (c) *confeſſi dicantur, qui fati id, quod ab his quæſitum eſt*, confeſſionis tamen vocabulum, ſi mentem legis contemplemur, vim eandem cum verbo profeſſionis tenet. Quid autem ſibi velit profeſſio, iterum (d) recenſere non vacat. Fatemur equidem, nos, hac interpretatione uſos, nulla fere exemplorum niti auctoritate, ſed ſola perpelli legis ratione atque ſententia. Fortaſſe tamen leges *confeſſionis* vocabulum ariolis ideo attribuerunt, *quod* (e) *confiteri ac profiteri æque honeſtum non ſit.*

(a) L. 5. C. h. t. l. 4. C. Th.

(b) NONIUS MARCELLUS de propr. Sermon.

(c) VARRO de lingua latina.

(d) vide §. 56.

(e) NONIUS MARCELLUS.

§. LXVII.

Gravius vero plectitur Haruſpex, qui (a) in alienas ædes intrare auſus eſt. Igni enim concremari jubetur. Nec præſidio erit ſaluti ejus, quod (b) amici ſalutandi, aut etiam alia cauſa in domum alterius ſe contulerit. Qua ſeveritate, (c) quæ profecto ſumma eſt, Conſtantinus ſine dubio

(a) L. 3. C. h. t. L. 1. C. Th. h. t.

(b) L. citat. verb. *alterum ob cauſam amicitia quamvis vetus repellatur.*

(c) L. 28. ff. de pœn. pr.

dubio voluit impedire, quo minus haruſpices, (d) quos publice tantum adire & conſulere erat permiſſum, a ſeditioſis acciti, clam ſui facerent copiam, occaſionemque ſuppeditarent, de imperatore ſummaque republica, remotis arbitris, inquirendi. Hoc enim palam percunctari, quia cum maximo erat conjunctum periculo, haud facile quis conabatur. Neque lex ullam hic perſonæ (e) dignitatem reſpicit, quamvis plerumque (f) igni necentur ſervi, qui Dominorum ſuorum ſaluti inſidias ſtruxerint, nonnunquam etiam liberi plebeji & humiles.

(d) L. 1. 2. C. Th. h. t. L. 1. C. Th. de pag. Sacrif. & templ.

(e) Exemplum in L. 2. C. de falſ. moneta.

(f) L. 28. ff. de pœn. §. 11.

§. LXVIII.

Amplius lex cavet, *nullus ſacerdos, nullus eorum, qui huic ritui aſſolent miniſtrare, ad limen alterius accedat.* Omnibus patet, ſacerdotibus eorumque miniſtris interdici, ne in alienas poſſeſſiones ſeſe inſinuent. De pœna autem, quæ eis irrogatur, non liquet. Nos autem de hac tota re ſic exiſtimamus. Si ſacerdos ſimul haruſpicinæ (a) artem calleat, ipſe quidem, ſi privatim operam ſuam alicui præſtiterit, aut alienum intraverit domicilium, igne exſtinguendus eſt, miniſtri autem ejus, quia, quam pœnam perſolvant, expreſſum non eſt, a judice ad arbitrium caſtigabuntur. Sin vero expers haruſpicinæ ſacerdos, nihil de eo, quod exta protendant, protulerit, (b) ſacra tamen fecerit, ſimul cum miniſtris ſuis gladio ſubſternetur. Sin autem neque haruſpicis munus ſacerdos obierit, neque ſacris operatus ſit, ſed alia mente, amici conveniendi gratia, alienam (c) habitationem introierit, illum quidem puniendum, ſed levius eſſe arbitramur. Judex igitur aut ipſe in eum animadvertet, aut ſi res illi potior videatur, quam ut in ea ſuum ſequatur judicium, rei-

(a) L. citat. verb. *haruſpex.*

(b) L. 1. 7. de pag. ſacrif. verb. *ac miniſtri ſacrificior.*

(c) L. 3. verb. *nullus ſacerdos*, C. h. t.

reipublicæ Principem, quid de reo ſtatuendum cenſeat, interrogabit.

§. LXIX.

Iſte etiam, qui haruſpicem præmiis vel ſuaſionibus in ſuam domum pellexit, (a) bonis publicatis in inſulam deportabitur. Verum tum demum hoc peccatum ita cohibetur, ſi non acceſſerit aliud facinus, quod gravius coercendum ſit. Etenim qui de eo, quod ſpei ſuæ tribuere poſſit, certior factus eſt, hac lege gladii pœnam a ſuo capite non (b) avertet. Deinde, ſi quis ad lares ſuos haruſpicem aut ſacerdotem ideo arceſſiverit, ut ſacris illi operarentur, ſacris factis, fortunis ſpoliatus, ſummum (c) cum aruſpice aut ſacerdote, eorumque miniſtis ſubibit ſupplicium. Cauſa, quæ Auguſtorum iram adeo in haruſpices acuebat, ut etiam conſuetudo cum illis tantum afferret periculi, ſupra a nobis indicata eſt. Quæ autem ſententia de eo dicenda erit, qui aruſpicem quidem non rogavit, ut ad ipſum diverteretur, aruſpicem tamen, ſua ſponte venientem (d) non ſtatim rejecit? Animadverſione eum omnino dignum judicamus, verum (e) deportationi in inſulam, & ademptioni bonorum locum eſſe pernegamus.

(a) L. citat. 3. C. h. t.

(b) L. 5. h. t. verb. *nemo haruſpicem conſulat.*

(c) L. 7. C. de pag. ſacrif. & templ. verb. *conſcii.*

(d) L. 3. verb. *quamvis vetus amicitia repellatur.*

(e) L. cit. verb. *ſuaſionibus vel præmiis.*

§. LXX.

Negat præterea Conſtantinus delatorem eſſe eum habendum, qui haruſpicem, aut illum, qui cum haruſpice clam congreſſus eſt, in judicium rapuerit, ſed e contrario Imperator (a) unumquemque ad flagitia hæc indicanda, ſpe præmiorum, invitat. Quod equidem alias, verum haud ita frequenter (b) factum eſt. Cum enim genus illud hominum, quod criminationibus variis aliorum ſalu-

(a) L. cit. 3. C. h. t.

(b) vide JACOBUM GOTHOFREDUM ad L. 4. C. Th. de accuſat. & inſcript.

ſalutem fortunasque tentare conſuevit, & delatorum nomen eam ob cauſam conſequutum eſt, exitio, ut ille ait, ſit (c) publico repertum, & a legibus etiam (d) odio habeatur, non potuit fieri, quin imperatores a præmiis eisdem deferendis ſeſe abſtinerent. Illud igitur argumento eſt, quod Conſtantinus ſingularem in haruſpices iram conceperat.

(c) TACIT. Annal. L. 4. C. 30.

(d) L. 34. §. 1. ff. de pœn. it. C. de delatoribus t. C. de jure fiſci &c.

§. LXXI.

Cognovimus, quibus ſuppliciis *mathematicorum, maleficorum, flagitia denique ceterorum ſimilium* ab imperatoribus reprimantur. Cum autem maleficia impunita eſſe non oporteat, quo gravius crimen patratum erit, eo acriorem in illo indagando eruendoque judex curam collocabit, ut facinoroſi (a) homines deprehenſi, temeritatis ſuæ pœnas luant, legesque tam ſeveras non fruſtra eſſe conditas, experiantur. Judex itaque ſi quid peccatum eſt, in locum, tempus & cetera, quæ cum delictis conjuncta eſſe ſolent, animum diligenter intendat, alia conquirat argumenta, (b) quibus auctor facinoris reddatur manifeſtus, teſtes adhibeat, (c) quid eis tamen credendum ſit, ſedulo ponderet, conditionem tandem illius, (d) quem ſcelus admiſiſſe ſuſpicio eſt, comtempletur, & his omnibus cum cura inter ſe comparatis, quid faciendum ſit, prudenter conſtituat. Conſilio igitur ex re capto, ſi res illud poſtulare videatur, tormentis etiam reum afficiat, quorum cruciatus (e) Mathematicis inprimis, (f) maleficis & (g) ceteris ſimilibus Imperatores minitantur.

(a) L. 13. pr. ff. de offic. Præfid.

(b) L. 8. §. 1. C. de Quæſt.

(c) L. 1. 3. ff. L. 5. C. de teſt.

(d) L. 7. §. 3. ad Leg. Jul. maj.

(e) L. 7. C. h. t. verb. *mathematicus*. L. 6. C. Th.

(f) L. citat. verb. *magus, qui maleficus*. L. 6. C. Th.

(g) L. citat. verb. *occultans aliquam artem divinandi, aut horum ſimile quid exercens*. L. 6. C. Th.

§. LXXII.

Judici tamen, ſi per carnificem veritatem explorare cogitur, magna eſt conſideratione opus. Etenim ut prætereamus, non facile, niſi in (a) *cauſa capitali &*

(a) L. 8. ff. de quæſt.

atroci ad tormenta esse decurrendum, judicantem tamen, etiamsi ingens sit scelus editum, non prius a quæstionibus cruentis initium (b) facere oportet, quam (c) *argumentis primo verosimilibus & probabilibus usus, his velut certis indiciis* ad reum cruciandum perducatur. Cum enim (d) confessio reorum pro exploratis facinoribus habenda non sit, nisi alia certioraque turpitudinis admissæ signa accedant, neque sit illi semper fides habenda, *qui* (e) *ultro de maleficio fatetur*, quoniam homines metu sæpius, aut alia etiam de causa, multa in se fingunt, temere profecto excruciaretur, qui tortus & confessus, inopia (f) alius probationis, supplicio affici non posset. Hoc deinde considerandum est, quo loco sit, quem judicans tormentis subjicere cogitat. Facilius enim servi torquentur, & ii nonnunquam (g) *in causis pecuniariis*, quam liber homo, cui, (h) nisi gravius quid perfecerit, tanti dolores non sunt perferendi. Et prorsus ita opinamur, libera adhuc civitate Romana, Romanum civem a cruciatibus semper fuisse immunem, cum ea quidem in mentem revocemus, accusatorem tormenta servorum nonnunquam fuisse minitatum, illud vero ignoremus, quod liber homo invitus sit traditus carnifici. Verum ut ad rem redeamus, quamvis adsit causa, quæ alias tormenta illi, qui postulatus est, afferat: judex tamen ea tunc demum accusato admovebit, *si personarum* (i) *conditio hoc patiatur. Etenim capitale est judici, si* (k) *decurionem torserit.* A cruciatibus enim defendunt (l) militia, genus, honores. Ad eos, quibus genus præsidio est, referimus (m) liberos, nepotes, *pronepotes eminentissimorum perfectissimorumque virorum*, (n) *veteranorum item* (o) *Decurionumque filios.* In illis, quos integros a tormentis honores præstant, numeramus

(b) L. citat. pr.
(c) L. 18. §. 2. ff. de quæst. L. 8. §. 1. C. de quæst.
(d) L. 1. §. 17. ff. de quæst.
(e) L. 1. §. 27. ff. de quæst.
(f) L. 16. C. de pœn. *sic in objecto flagitio deprehenso.*
(g) L. 9. ff. de quæst. L. 12. 18. C. de quæst.
(h) L. 3. §. 1. C. de quæst.
(i) L. 8. C. §. 1. de quæst.
(k) L. 16. C. h. t.
(l) L. 4. C. ad L. Jul. majestatis.
(m) L. 11. C. de quæst. ubi exceptio.
(n) L. 3. ff. de Veteranis. verb. *qui decurionibus.*
(o) L. 4. C. de Decurionibus.

mus (p) *eminentiſſimos perfectiſſimosque viros*, alios etiam honoribus (q) prædítos, ut viros clariſſimos atque ſpectabiles. Decuriones, & illos, qui *ſunt in* (r) *Imperatoris aut Cæſaris comitatu.* Verum hæc omnia ita ſunt capienda, ut judici, niſi a Principe aliud imperetur, (s) atrocrius quid in tantorum virorum corpora conari jus non ſit.

(p) L. 11. C. de quæſt.
(q) L. citat. 7. C. de maleſ. & math. & cet. ſimil. L. 6. C. Th. h. t.
(r) L. cit. verb. *noſtro.*
(s) L. 4. C. ad Leg. Jul. majeſt. verb. *inconſultis.*

§. LXXIII.

Haud tamen ſemper militia, genus, muneraque ampliſſima a tormentis ſecuritatem præſtant. (a) Legem igitur recitabimus. *Etſi excepta tormentis ſunt corpora honoribus præditorum, præter illa videlicet crimina, quæ legibus demonſtrantur.* A quæſtione enim noluerunt leges rem ullam excuſare *mathematicum, maleficum, ceteros ſimiles*, eosque, qui (b) majeſtatis vel ſuo nomine poſtulantur, vel conſcii tam atrocis conſilii, rem ad Principem non detulerunt. Novimus præterea, poſſe ex alia etiam cauſa Decurionem torqueri, ſi actio inſtituatur (c) de *falſo teſtamento*, quod ille, magiſtratum adeptus, aut etiam antea ſcripſerit, ſi denique Decurio adulteratis publicis & privatis inſtrumentis, in crimen falſi incidat. Verum iſtam legem poſteriore (d) Valentiniani &c. conſtitutione abrogatam fuiſſe exiſtimamus. Quando autem Decurio, (e) qui *pecuniam publicam decoxit*, aut *in adſcriptionibus* publicis fraudulenter verſatus eſt, aut in *exactionibus* fuit immoderatior, *plumbatarum ſubjicitur ictibus*, illæ plagæ (f) in pœnarum numero, non in tormentis habendæ ſunt. Reliqua, quæ lex eadem ſancit, hæc fere ſunt. (g) *Etſi omnes magi, generis humani inimici credendi ſunt, quoniam tamen, qui ſunt in comitatu noſtro, ipſam propemodum pulſant majeſtatem. Si quis in noſtro vel Cæſaris Comitatu mathematicorum, male-*

(a) L. citat. 7. C. h. t. L. 6. C. Th. h. t.
(b) L. 10. ff. de quæſt. verb. *omnes omnino.* L. 4. C. ad Leg. Jul. L. 16. C. de quæſt.
(c) L. 21. C. ad Leg. Corn. de falſ.
(d) L. 16. C. d. quæſt. verb. *tantum.*
(e) L. 40. C. de Decurionibus.
(f) L. cit. verb. *inventus fuerit.* vid. præt. JAC. GOTHOFRED. ad L. 2. C. Th. de quæſt. GALLONIUS de Cruciat. Martyr. C. 4.
(g) L. 7. C. h. t.

maleficorum & ceterorum similium deprehensus & convictus sit, & ad proprium facinus detegentibus, repugnarit pernegando, præsidio dignitatis ille exutus, dedatur equuleo ungulisque latera sulcantibus.

§. LXXIV.

Cernimus, eos cruciatibus non esse affligendos, quos sibi Princeps Comites esse voluit, intelligimus tamen, hoc privilegio Mathematicos, maleficos, ceterosque spoliari similes. Non invenuste Græci comitem per (a) συνοδοιπόρον, ἑταῖρον, συνεστιώτην, comitatum vero per παραπόμπην, συνεκδημίαν & per ἀρχαιρεσίαν verterunt. Solebant enim Principes, viros dignitate insignes rerumque usu præstantes sibi adsciscere comites, non solum ut amplissimorum hominum multitudine circumdati, civibus suis viderentur multo augustiores, sed etiam, ut, illorum (b) opera in republica administranda, in (c) jure dicundo, in gerendo denique (d) bello uterentur. Referimus tamen ad comitatum Principis etiam eos, qui non longe a Principe discedunt, & curam cum dignitate conjunctam susceperunt, quo pertinent (e) Archiater, Decurio Palatii, & alii plures. Hi sunt, quos nomine comitatus, quem per aulam GUTHERIUS, & JACOBUS GOTHOFREDUS explicant, hoc loco Lex complectitur. Alias enim in jure comitatus vox ita late non patet, sed eum indicat (f) confessum, quem Theodosii Codex consistorium Principis vocat, & ad quem, si graviorem judex dixerit sententiam, disceptantibus relicta est (g) provocatio.

(a) LABBÆI Glossarium.

(b) SVETON. in Tit. C. 7.

(c) SPARTIAN. in Adrian. C. 8. idem in Adrian. C. 18.

(d) SVETON. in Tib. C. 46. & alibi.

(e) L. 2. C. quib. non objic. long. temp. præsc. Adeatur GUTHERIUS de officio Dom. August. SALMAS. ad Spartian. Adrian. C. 18. & ad Pollionis 30. tyrannos. C. 12.

(f) vid. inscriptio L. 3. de offic. Jud. L. 12. C. Just. de pœn.

(g) L. 1. C. de his, qui propter met. non appellarunt. Jungatur AMMIAN. MARCELL. L. 28. C. 1.

§. LXXV

Si quis, ait Lex, *in comitatu nostro vel Cæsaris deprehensus sit.* Inde consequitur, comitatum etiam ad Cæsarem referri, aliter quam (a) GUTHERIO, Viro doctissi-

(a) De offic. Dom. Aug. L. 2. C. 5.

ctiſſimo, viſum eſt. Tormenta etiam non minus a comitatu Cæſaris atque ab Auguſti comitibus depelluntur. Alias enim Conſtantius *Mathematicos*, *maleficos*, *ceteros-que ſimiles*, qui in comitatu erant Cæſaris, hoc privilegio verbis diſertis non exuiſſet. Et prorſus cum Jureconſulto eruditiſſimo, JACOBO GOTHOFREDO, arbitramur, Conſtantium non tam odio in mathematicos & reliquos, quos toties commemoravimus, incenſum, ſuum etiam comitatum tormentis ſubdidiſſe, quam metu Juliani in hanc adductum fuiſſe ſententiam. Julianus enim Cæſar, magnis rebus geſtis, majora ſpectabat, & ex mathematicorum (b) vaticinantiumque auctoritate multum pendebat. Hoc igitur Conſilio efficiebatur, ut Julianus, comitatu etiam ſuo cruciatibus expoſito, cum reum nihil a cognitione acerrima tueretur, homines, qui iſta auderent, non facile inveniret, aut, etiamſi inveniſſet, illa tamen ſcelera non ita facile abderentur. Porro Lex cavet; *Si convictus ſit, & ad proprium facinus detegentibus repugnaverit pernegando.* Nulla res cogit, ut hæc verba corrupta eſſe, & male ſe habere, cum JACOBO (c) GOTHOFREDO exiſtimemus. Etenim, ut paucis attingamus, in verbo *ad properum* explanando, Virum doctum magna fuiſſe libertate uſum, multoque liberius illum credidiſſe, *ad properium* eſſe ſcribendum, hæc legis eſt ſententia. Si convictus repugnaverit, (d) ad hoc idem eſt, quod contra, *proprium facinus*, illis, qui, ut legis verbum retineamus, *flagitium illud judici detexerunt.* Repugnare autem contra aliquid, circa aliquid, fuiſſe Romanis in uſu dicendi, norunt fere omnes. Monetur his verbis judex, ne, quod ſupra diximus, ſine (e) gravi cauſa ad reos cruciandos moveatur. (f) Etenim *ſi convictus eſt*, illud ſignificat,

(b) AMMIAN. MARCELLIN. l. 21. c. 1. l. 22. c. 1.

(c) ad hanc legem 7.

(d) vid. SERVIUM ad Lib. 2. Æneid. v. 444

(e) vid. §. 71. 72.

(f) vid. L. 16. C. de pœn.

ſi ſit in objecto flagitio ſic deprehenſus, ut vix etiam ipſe ea, quæ commiſerit, negare ſufficiat, & contra proprium facinus ſeu ſcelus, quod conſcivit, *negando tantum repugnet.* Demum Lex ita concludit. *Sit eqvuleo deditus, ungulisque latera ſulcantibus perferat pœnas, proprio dignas facinore.* Torqueri mathematicos & ceteros, pœnasque de illis ſumi, Imperatores jubent. De generibus autem cruciatuum, qui hoc loco nominati ſunt, ne quid a nobis expectes, quia, quod (g) GALLONIO poſſimus addere, nihil habemus. Verum ſi quis cognoſcendæ ejus rei cupidus ſit, ille adeat Virum doctiſſimum, qui ejus deſiderium ſatis abundeque explebit.

(g) de Cruciatibus martyrum C. 3. 5.

§. LXXVI.

Placuit etiam (a) imperatoribus, *culpam eſſe ſimilem, tam prohibita diſcere, quam docere.* Prorſus nobis perſuademus, capitalem ſententiam de illo fuiſſe pronuntiatam, qui iſta flagitia aut ipſe perceperat, aut ea aliis tradendo diſſeminaverat. Huic enim opinioni THEODOSII Codex, in quo hæc lex integra exſtat, aperte ſuffragatur. Hic enim VALENTINIANUS, *ceſſet*, ait, *mathematicorum tractatus.* Tractatu mathematicorum omnis eorum continetur diſciplina, quæ vel in fatis explicandis, vel aliis eadem doctrina imbuendis, occupata eſt. *Si qui aut publice aut privatim, in die noctuque deprehenſus ſit in cohibito verſari errore, capitali ſententia feriatur uterque.* Utriusque voce condemnatur mathematicus, & alter, qui vel de futuro fuit ſollicitus, vel arte illa ſe erudiendum præbuit. Sequitur enim *neque diſſimilis culpa eſt prohibita diſcere quam docere.* Videmus igitur, Imperatores eandem docentium & diſcentium facere conditionem, & *utrumque* eadem pœna cenſere dignum. Verum tamen, cum Juſtinianus capitis pœnam,

(a) L. 8. C. h. t. L. 8. C. Th. h. t.

nam, quam Valentinianus antea conſtituerat, huic detraxerit legi, nec certo reprimat ſupplicio, cum hos, qui iſtis artibus alios imbuunt, tum illos, qui hiſce ſtudiis initiantur, credimus, eorum coercendorum facultatem judici fuiſſe relictam. Quin tamen hanc rem acrius judex debeat vindicare, non negamus. Etenim qui artes iſtas docet, plus committit, quam qui alteri de re futura reſpondet. Ille enim, qui aliis impertit horum ſtudiorum cognitionem, non efficit ſolum, ut diſcens ipſe fata poſſit ſibi explicare, ſed illum etiam idoneum reddit, ut aliis ſimile docendi reſpondendique officium poſſit exhibere. Pari modo eum vehementius cenſemus eſſe plectendum, qui in cognoſcendis hiſce præſtigiis operam poſuerit.

§. LXXVII.

Judex porro (a) corrumpere jubetur *libros improbatæ lectionis*, magicos & his ſimiles. Magno autem crimini (b) quondam datum eſt poſſidere codices, legi prohibitos. De libris magicis ita PAULLUS, (c) *libros*, ait, *magicæ artis apud ſe neminem habere licet: & ſi penes quoscunque reperti ſint, bonis ademptis ambuſtisque his publice, in inſulam deportantur, humiliores capite puniuntur.* Valentinianus (d) juvenem, qui *Codicem noxiarum artium deſcripſerat*, morte affecit. Eunomianorum occultare ſcripta, Arcadius æque capitale eſſe voluit, ac ſi (e) quis *noxium Codicem, maleficiique crimine conſcriptum* retinuiſſet. Qua ex re inſignis librorum jactura orta eſt. AMMIANUS enim, (f) *congeſti ſunt*, ait, *innumeri codices, & acervi voluminum multi ſub conſpectu judicum concremati ſunt, ut illiciti, ad leniendam cæſorum invidiam, cum eſſent plerique liberalium diſciplinarum indices variarum & juris.* Quin etiam, cum plures eo nomine interirent, quod *incantamina quædam anilia, vel lu-*

(a) L. 4. §. 1. ff. fam. herciſcundæ.

(b) L. 6. C. de hæret.

(c) L. 5. t. 23. §. 18. al. 12. ſent. ad Leg. Corn. de Sic. & Venef.

(d) AMMIAN. MARCELL. L. 28. C. 1.

(e) L. 34. C. Th. de hæret.

(f) L. 29. C. 1. in fin.

ludibriosa tenerent amatoria, cum tamen ea ipsa sæpius *subderentur*, effectum est, ut (g) *per Orientales provincias omnes metu similium omnia exurerent libraria.* Illud addimus, Justinianum pœnam certam de eo, qui tales sibi libros servaverit, nullam statuisse.

(g) ad. L. 29. C. 2.

§. LXXVIII.

Varii denique ex eis criminibus nascuntur effectus. Ita filius, *qui patrem & matrem, a quibus se educatum dicit*, (a) *maleficos appellaverit, indignus militia judicandus est.* A filio exhæredari possunt parentes, qui saluti ejus (b) *venenis vel maleficiis* insidias struxerunt. Parenti etiam, ut a bonorum successione filium excludat, justam hoc (c) flagitium causam suppeditat. Malefici porro (d) *& qui sepultos quiescere quadam sceleris immanitate non sinunt*, cum vinculis multos solvere solennibus Paschatos imperatores solerent, hujus beneficii non erant participes. (e) Provocatio denique maleficiorum, *qui argumentis convicti, testibus superati, voce etiam propria scelus confessi sunt*, non admittitur. Sic femina, (f) quæ maritum veneficum esse probaverit, a viro, soluto matrimonio, potest discedere. Publicum autem crimen committere magos, ex eo est perspicuum, quia Lege Cornelia innotatur. (g) Unicuique igitur, modo discedamus ab his, quibus (h) leges hoc expresse denegant, magi postulandi erit facultas, id quod etiam, nisi pœnam experiri velit, hujus rei conscio erit (i) necessarium.

(a) L. 1. §. 3. ff. de obsequ. Parent. & Patron. HARMENOPULUS in προχείρῳ L. 1. t. 16. n. 2.

(b) Nov. 115. C. 4. §. 2. HARMENOPULUS in προχείρῳ L. 5. t. 9. n. 59.

(c) argum. Nov. 115. C. 3. §. 4.

(d) L. 3. C. de episcopal. aud. L. 3. C. Th. de indulgent. crimin.

(e) L. 2. C. quorum appellat. non recipiuntur. L. 1. C. Th. eod. t.

(f) L. 8. C. d. repud. L. 1. C. Th. h. t. verb. *medicamentarius.*

(g) §. 1. I. d. publ. jud. vid. L. 1. ff. eod.

(h) L. 8. 9. ff. de accusat. & inscript. §. 1. Inst. de publ. jud.

(i) L. ult. C. h. t. vid. §. 63.

§. LXXIX.

Leges, ut speramus, satis explanavimus. Nunc stat sententia, paucis exponere, quomodo ex his legibus de *mathematicorum, maleficorum ceterorumque* causa *similium* judicandum sit. Omnes enim consentient, Jureconsultum,

tum, quamvis ille mentem legis optime noverit, ſæpius tamen laborare, quando de negotio judicandum eſt. Etenim tam multa, quæ circumſtantiarum nomine efferimus, in omnibus rebus ſunt conſideranda, tantumque illa momenti ad cauſas afferunt, ut earum haud raro mutetur conditio. Id quod in (a) criminibus maxime accidit. Quo igitur, ut diximus, accuratius declaretur, quid de criminibus *mathematicorum & reliquorum* ex jure Romano ſit ſtatuendum, paucis de hac univerſa re agemus.

(a) Vid. L. 16. ff. de pœn.

§. LXXX.

Certum illud eſt, (a) *cogitationis pœnam ferre neminem.* Verum ſi cogitationem ſceleſtam actio conſequatur, quæ ad patrandum facinus, animo propoſitum, ſpectat, jam in alium res locum devenit. (b) Horum enim, quorum animus facinore quodam prorupit, duo ſunt genera. Horum alterum, priusquam facinus perpetret, (c) impune poteſt reſipiſcere, alterum vero non item, præſertim ſi *res* cogitata *adeo fuerit turpis, ut etiam conſilium puniri debeat.* Cave autem exiſtimes, ſermonem hic de ea eſſe pœna, quam lex, flagitio commiſſo, ſecum affert, ſed agitur hic ſaltem de aliqua animadverſione, qua ob exemplum judices pro arbitrio uti conſueverunt. (d) Quis enim ex lege (e) Cornelia capitis condemnet, aut in inſulam deportet eum, qui cædis faciendæ cauſa ſicam arripuit, poſtea tamen, ſica abjecta, tam turpe conſilium deſeruit? Quis in inſulam eum (f) deportandum credat, qui teſtamento falſo (g) ſcripto, ſignato, illud, juſti rectique memor, poſtea confeſtim delevit? (h) Quin lege Pompeja de parricidiis is culeo involvitur, qui emit venenum, ut patri daret, quamvis non potuerit dare. (i) Verbum autem *potuerit*, indicium eſt impedimenti alicujus, quod extrinſecus advenit. Cum igitur illa vox excludat eos, qui potuerunt quidem, ſed noluerunt, conſilio opportune

(a) L. 18. ff. de pœn.
(b) conf. Ord. Crim. art. 109.
(c) L. 3. ff. de his qui infam. not.
(d) Ord. Cr. art. 178.
(e) L. 3. §. 5. ff. ad L. Corn. de ſic. & ven.
(f) L. 1. pr. ff. ad L. Corn. de ſic. & ven.
(g) L. 1. pr. §. 13. ff. ad L. Corn. de falſ. l. 31. ff. l. 8. C. eod.
(h) L. 2. ff. ad Leg. Corn. d. falſ.
(i) L. 1. ff. ad Leg. Pompej. de parrici. l.

mutato, parricidii admittere flagitium, quo majori poſſumus niti argumento, & ratiocinari, non eandem eſſe conditionem eorum, qui a ſententia tam nefaria ſtatim diſceſſerunt cum illis, quorum conſilium caſu diſturbatum eſt. Itaque, ut paucis rem comprehendamus, eos quidem, qui tam nefaria aggreſſi ſunt, opportune tamen reſipuerunt, plectendos eſſe autumamus, verum non illa pœna, quæ legis, in quam inciderunt, propria eſt, ſed pro eo, quod judici æquum eſſe videatur. (k)

(k) P. 4. C. El. 2. ibique CARPZ. d. ult. & Pr. Cr. q. 49. n. 46. ſeq.

§. LXXXI.

Et hæc de iis, quos tentati facinoris tempeſtive pœnituit. Illorum vero, qui in facinore perſeverarunt, duplex iterum nobis videtur eſſe conditio. Ita lex ſupplicio afficit eum, (a) *qui cum telo hominis occidendi gratia ambulaverit, qui in teſtamento perfecto legatum ſibi adſcripſerit*, (b) *quamvis legatum inutile fuerit, pœnam definitam incurrit, qui venenum emerit, ut patri daretur*, (c) *quamvis non potuerit dare, parricida eſt. Verum cum interpretatione legum pœnæ* (d) *molliendæ ſint potius quam aſperandæ, & eventus a clementiſſimo quoque ſpectetur*, exiſtimamus (e) *ob exemplum animadverſiones horum maleficiorum eſſe exacerbatas* nec, cum de alio crimine quæritur, *ea ad conſequentias eſſe producenda*, niſi forte aliud a legibus diſerte ſanciatur, & hodie in uſu ſit. (f) Itaque ille, qui *mathematicum, magum & ceteros ſimiles* de re futura conſulere voluit, poſtea tamen, commutato animo, opportune eorum operam repudiavit, gladio trucidandus non eſt, quamvis non inficiemur, *rem*, ut verba legis repetamus, *ita videri turpem, ut etiam conſilium puniendum ſit.* Judex igitur pro eo, quod admiſſum eſt, in illum animadvertet. Deinde, ſi quis per alium, cui hoc commiſerat, de fato certior fieri voluit, ille tamen, cui res mandata erat, mathematicum &c. non adierit

(a) L. 1. ff. ad L. Cornel. de ſic.
(b) L. 8. C. ad L. Cornel. de falſis.
(c) L. 1. ad Leg. Pompej. de parricid. l. 42. ff. de pœn.
(d) L. 16. §. 8. ff. de pœn.
(e) L. 16. §. ult. de pœn.
(f) l. 5. C. ad L. Jul. Maj. l. 3. C. d. Apoſtat. p. 4. C. El. 2. pr. CARPZ. Pr. Cr. q. 49. n. 71. ſeq.

adierit, credimus, facto procuratoris, qui rem omiſit, mandantem a periculo capitis liberari. Illud modo notandum, ſatis deliquiſſe, nec a capitis periculo defendi poſſe eum, qui mathematicum conſuluit, quamvis reſponſum nullum acceperit. Etenim, cum homicidium committere, cum incendium, cum furtum quis facere voluit, hæc non poſſunt plenum habere eventum, niſi homine occiſo, aut incendio excitato, aut re aliena domino erepta. Hoc autem quis neget fieri non poſſe, ſi *mathematicus, magus, &c.* reſpondere de fato recuſaverit. Quin perſpicuum eſt *reſpondere* ad *conſulere* non pertinere, ſed hæc duo diverſa eſſe delicta, quia *mathematicus &c.* ſi reſponderit, in inſulam exponitur.

§. LXXXII.

Simili modo *Mathematici, malefici & ceteri ſimiles*, pœnam deportationis aut capitis non ſuſtinebunt, ſi interrogati de fato, reſponſum quidem ferre velint, poſtea tamen, ſpretis ineptiis, ſui non faciant copiam. Exiſtimamus etiam, ſi Mathematici & reliqui &c. per alium reſpondere cogitent, ille tamen, cui res demandata eſt, reſponſum ad interrogantem non deferat, non poſſe eos ſupplicio legis coerceri. Res enim eventu caruit. A judice tamen, prout ei æquum eſſe videatur, (a) caſtigandos opinamur. Magos etiam, qui aliis nocere voluerunt, nihil tamen intulerunt detrimenti, a peſte ferali (b) excuſandos arbitramur. Hæc eſt norma, quæ nobis ſervanda videtur, cum de delictis inſtituta eſt quæſtio, & ex qua putamus, de omnibus *mathematicorum* cauſis optime poſſe judicari.

(a) arg. l. 3. ff. de h. q. infam. not.

(b) jungat. l. 4. C. h. t. verb. *deflexiſſe detegentur.*

§. LXXXIII.

Verum a jure Romano patria noſtra multum receſſit. Mathematici enim, qui, ut diximus, (a) ex ſideri-

(a) Ordinat. Politica tit. 3. §. 8.

bus, ſomniis, & numeris &c. conjecturam de fato ineunt, a judice pro eo, quod commiſerunt, ſunt corrigendi. Cum mago autem vehementius agitur. Etenim, (b) ſi forte magus paciſcatur fœdus cum Dæmone illo, quem ut hoſtem humani generis merito averſamur, aut ſi ille cum Dæmone rem habuerit, igni comburitur. Magus deinde, qui ſocietatem quidem tam impiam non iniit, (c) commercium tamen habuit cum Dæmone, capite plectitur. Ille etiam, qui tam ſceleſta arte uſus, aliis nocuit, modo ne fœdere cum Dæmone juncto, aut alia ratione gravius ſupplicium mereatur, (d) gladio ſubjicitur. Magus denique, qui, ut ita loquar, (e) per cryſtallum, ſeu per aliud quidvis cum Dæmone loquitur, & vel futura aut alia etiam explorare ab illo conatur, gladio interficitur. Magus vero, qui, quod per Cryſtallum fieri dicunt, divinavit tantum, & nihil præterea cum Dæmone commercii contraxit, pro eo, quod judex arbitretur, (f) caſtigandus eſt. Neque minus de *ceteris ſimilibus*, & de eis, qui *mathematicos*, *maleficos ceterosque* conſuluerunt *ſimiles*, aut qui magorum opera in re leviori adjuti fuerunt, ex re ipſa conſtituat.

(b) Conſtit. Elect. 2. part. 4. §. 2. verb. Bündniſſe zu ſchaffen hat.

(c) vid. CARPZOV. in Practic. Crim. part. 1. quæſt. 50. n. 48. Conſtit. Elect. 2. p. 4. §. fin. verb. Geſpräche oder dergleichen.

(d) Conſtitutio Electoralis 2. p. 4. §. Do aber.

(e) Conſtit. Elect. 2. p. 4. §. fin. Ordinat. Politica 3. §. 7.

(f) Ordinat. Politica El. Sax. tit. 3. §. 8.

§. LXXXIV.

Satis de eo, quod apud nos de his flagitiis cautum eſt, actum eſſe exiſtimamus, ſiquidem hæc ab (a) aliis ſunt & ſæpius & uberius pertractata. Multa etiam paſſim nos dixiſſe meminimus, quæ in Saxonia uſui eſſe poſſunt. Illud modo teneamus, magnam judici adhibendam eſſe prudentiam, cum de magis inſtituitur quæſtio.

(a) vid. inprimis CARPZOV. in Pract. Crim. part. 1. quæſt. 48. ſeq.

Hæc habuimus de mathematicis, maleficis, & ceteris ſimilibus.

AD

PRÆNOBILISSIMUM ATQUE PRÆCLARISSIMUM

DN. WINCKLERUM,

AMICUM SUUM LONGE HONORATISSIMUM

PRÆSES.

Sapientissime L. Annæus Seneca (a) *negat posse fieri, ut cum grandine quis paciscatur, & tempestates minusculis redimat, adeoque merito miratur judi-*

(a) Natural. quæst. lib. 4. c. 7.

cia quondam in illos reddita, quibus delegata erat providendæ tempeſtatis cura, quod negligentia eorum vineæ vapulaſſent, aut ſegetes procidiſſent; proinde prudentiſſimam addit cenſuram, monendo, rudem adhuc antiquitatem credidiſſe, & attrahi imbres cantibus & repelli, quorum nihil fieri poſſe tam palam ſit, ut hujus rei cauſa nullius Philoſophi ſchola intranda ſit. Scilicet, Gentiles, divinam veritatem aſpernati, in graviſſimos inciderunt errores, ac fabulis commentisque occupati, lumen rectæ rationis obſcurarunt, id quod denſiſſimis viam aperuit tenebris, & a Privatis ad Rempublicam perniciosiſſime penetravit. Cum igitur auguriorum ac vaticinationum ma-

teria

teria ad viles æruſcatoresque translata eſſet, irreparabilis hinc nata eſt publicæ ſalutis jactura; maxime Juliano, *Apoſtata, antequam, morte violenta, quam meruerat, imminente, viciſſe Chriſtum fateri cogeretur, peſtilentiſſime virus ſuum diſſeminante. Itaque, quoniam maleficorum turba obſcuritati involvebat auſus ſuos & Chriſtiani Imperatores juſtiſſimæ, quam Deus huic hominum feci deſtinaverat, vindictæ invigilabant, emerſit, etiam ex ipſis verbis, paſſim difficultas, cui ſuperandæ non niſi antiquitatis & Critices ſtudioſiſſimus par erat. Proinde hæc cura Tuam deſideravit, quam in otio negotioſo præſtares, opem ac patientiam, & felicitatis Chriſtianorum*

norum §. 41. ſeq. admirationem ac deprædicationem. Qua in re Theodoſianus Codex Tibi fuit inſigni, ex quo lumen variis textibus Juris affunderes, adjumento. Perge literarum momentis & Publico Bono fidem Tuam conſecrare, ut orbis eruditus & Reſp. Tuis laboribus ſalutariter perfruatur.